HODOEPORICA SIUE ITINERARIA, A DIUERSIS CLARISS...

Nathan Chytraeus

Digitized by Google

LECTORI.

PLures fortè,candide Lector,in hoc argumento cum laude ſunt verſati, quorum opera in meas manus nondum peruenerunt. Neq; tamen ignotus mihi eſt Hugo Fauolius,qui iter Byzantinum,tribus libris carminum ſuorum eſt complexus, quos ideo huic enchiridio non addidimus, ne Opus nimium exereſceret. Tu,ſi quos præterea habes non aſpernandos,ſi placet,mecum communica, vt hi quoque laborum ſuorum hoc qualicunque præmio non deſtituantur, Vale,& his intereà fruere.

AD NATHANEM CHYTRAEVM

CONRADVS VVEIS.

Sæpè quod optaras fieri, CHYTRAEE *diſerte,*
Prodit HODOEPORICVM, *cuius es auctor,opus.*
Auctorem dico, quòd tu collegeris illud,
Pars operis tua ſit quòd quoq; magna noui.
Mox rerum cernes veterũ & monumenta recentũ.
Exornata typis magne Poëta bonus.
Illaq; Doctoris ſtudio magis aucta FICHARDI
Cernes ad vultum cuncta redire tuum.
Inſtiteram multum ſimul vt nunc illa videres,
Temporis excluſus ſed breuitate fui.

CATALOGVS AVCTORVM.

VETERVM.

P.Horatij Flacci iter Brunduſinum.
P.Ouidij Naſonis in Miletum nauigatio.
Sex.Propertij Aurelij Vmbri iter Athenienſe ex lib.4.Elegia 19.
Rutilij Claudij Numatiani Galli, V.Conſularis, præfectorij Vrbis, Tribuni militum, præfecti prætorio, Itinerarium.

RECENTIORVM.

GEORGII FABRICII Chemnicēſis.
- HYPOMNEMATA Hodœporica ad Chriſtophorum Leuſchnerum in Italiam euntem.
- Item, Iter.
- Romanum primum.
- Neapolitanum.
- Romanum ſecundum.
- Patauinum.
- Chemnicenſe.
- Argentoratenſe.

GEORGII SABINI, in peregrinationem dn̄.Stanislai à Laſco, Elegia. Eiuſdem Hodœporicon itineris Italici.
IACOBI MICYLLI Hodœporicon.
IOACHIMI Camerarij Hodœporicon hyemale.

IOANNIS FRANCISCI Ripenſis iter Francicum.

PAVLI RVBIGALLI Pannonij, Hodœporicon itineris Conſtantinopolitani.

1 HYPOMNEMATA Hodœporica.

3

NATHANIS Chytræi, ITER.
- Pariſienſe.
- Anglicum.
- Auguſtanum.
- Venetum.
- Romanum.
- Neapolitanum.
- Helueticum.

ANDREAE Lymuici Cimbri, ITER.
- Noribergenſe.
- Auguſtanum.
- Venetum.
- Romanum.

DE CLARIS VRBIBVS.

D. Auſonius Burdigalenſis.
IVLIVS Cæſar Scaliger.

GENE-

GENEROSO ET ILLV-
STRI COMITI AC DOMINO, D. Othoni, VVildgrauio Daunenſi & Kyrburgenſi, Rheingrauio Steinenſi, comiti Salmenſi, Baroni ac Domino Vinſtingenſi, Ill. electoris Palatini Signifero, &c. domino ſuo clementi, NATHAN CHYTRAEVS Mencingius ſubmiſſa compellatione S. P. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CVM hunc libellum, generoſe & illuſtris Domine, in manibus haberem, eo conſilio, vt paulò pôſt in lucem emiſſus, cùm alijs quoque communicaretur: eodem tempore, omine, vt ſpero, non infelici, redditæ mihi ſunt literæ cariſſimi affinis mei Andreæ Ienichij, cuius opera in miniſterio Eccleſiæ oppidi ſui Flonheimenſis generoſa clementia tua aliquandiu hactenus vſa eſt, & adhuc vtitur. Iis autem literis affinis, quem dixi meus generoſæ clementiæ tuæ ſingularem pietatem, doctrinam, animi magnitudinem & benignitatem, erga ſe potiſſimum, peculiarem, multis verbis prædicabat, ſibiq; de tali loco & domino ex animo gratulabatur. Quàm verò & affinis, & cariſſima ſororis mea, totiusq; adeò familiæ ipſorum nomine

mine gratum hoc mihi fuerit, facile cogitare poſſunt ij, quibus & amoris fraterni vehementia, & anxiæ de amicis procul abſentibus curæ vis, non eſt ignota. Vt igitur illud ipſum gaudium meum, qualecunque gratæ mentis & memoriæ ſignificatione generoſæ clementiæ tuæ teſtatum facerem: eum ipſum, quem tum in manibus habebam libellum, ſub inclyti nominis tui auſpicijs in publicum prodire volui: eumq́, ob variorum itinerum, rerum, vrbium, & caſuum deſcriptiones, non ingratum clementiæ tuæ illuſtri futurum eſſe confido: & vt ſit, cum debita ſubiectione & obſeruantia ſubmiſſè peto, ſimulq́, & me, & affinis mei familiam omnem, tutelæ & patrocinio generoſæ clementiæ tuæ, quam Deus diutiſſimè incolumem & florentem conſeruet, ſtudioſè commendo. Datæ ex Academia Roſtochienſi, Anno M.D.LXXV.

Q.HO-

Q. HORATII FLACCI ITER Brundiſinum. Satyra 5. libro 1.

EGreſſum magna, me excepit Aritia, Romæ
Hoſpitio modico: rhetor comes Heliodorus,
Græcorum longè doctiſsimus: inde Forum Appi
Differtum nautis, cauponibus atq; malignis.
Hoc iter ignaui diuiſimus, altius ac nos
Præcinctis, vnum minus eſt grauis Appia tardis.
Hîc ego propter aquã, quòd erat deterrima, ventri
Indico bellum, cœnantes haud animo æquo
Expectans comites: iam nox inducere terris
Vmbras, & cœlo diffundere ſigna parabat.
Tum pueri nautis, pueris conuitia nautæ
Ingerere: huc appelle, trecentos inſeris, ohe
Iam ſatis eſt. dum æs exigitur, dum mula ligatur,
Tota abit hora. mali culices, ranæq; paluſtres
Auertunt ſomnos: abſentem cantat amicam
Multa prolutus vappa nauta, atq; viator
Certatim. tandem feſſus dormire viator
Incipit, ac miſſa paſtum retinacula mulæ
Nauta piger ſaxo religat, ſtertitq; ſupinus.
Iamq; dies aderat, cùm nil procedere lintrem
Sentimus, donec cerebroſus proſilit vnus,
Ac mulæ, nautæq; caput, lumboſq; ſaligno
Fuſte dolat, quarta vix demum exponimur hora.
Ora, manusq; tua lauimus Feronia lympha

Millia tum pranſi tria repſimus, atq; ſubimus
Impoſitum ſaxis latè candentibus Anxur.
Huc venturus erat Mecœnas optimus, atq;
Cocceius, miſſi magnis de rebus vterq;
Legati, auerſos ſoliti componere amicos.
Hic oculis ego nigra meis collyria lippus
Illinere. interea Mecœnas aduenit, atq;
Cocceius, Capitoq; ſimul Fonteius, ad vnguem
Factus homo, Antoni, non vt magis alter, amicus.
Fundos, Aufidio Luſco prætore, libenter
Linquimus, inſani ridentes præmia ſcribæ,
Prætextam, & latum clauum, prunæq; catillum.
In Mamurrarum laſſi deinde vrbe manemus,
Murena præbente domum, Capitone culinam.
Poſtera lux oritur multò gratiſſima: nanq;
Plocius, & Varius Sinueſſæ, Virgiliusq;
Occurrunt: animæ: quales neq; candidiores
Terra tulit, neq; quîs me ſit deuinctior alter.
O qui complexus, & gaudia quanta fuerunt:
Nil ego contulerim iucundo ſanus amico.
Proxima Campano ponti quæ villula, tectum
Præbuit, & Parochi quæ debent, ligna, ſalemq;:
Hinc muli Capuæ clitellas tempore ponunt.
Luſum it Mecœnas, dormitum ego, Virgiliusq;,
Namq; pila lippis inimicum, & ludere crudis.
Hinc nos Coccei recipit pleniſſima villa,
Quæ ſupereſt caudi cauponas: nunc mihi paucis
Sarmenti ſcurræ pugnam, Meſſiq; Cycerrhi,

Mu-

Muſa velim memores, & quo patre natus vterq;
Contulerit lites. Meßi clarum genus Oſci,
Sarmenti domina extat. ab his maioribus orti
Ad pugnam venêre. prior Sarmentus, equi te
Eſſe feri ſimilem duco: ridemus, & ipſe
Meßius, accipio: caput & mouet, ô tua cornu
Ni foret execto frons (inquit) quid faceres? cùm
Sic mutilus minitaris? at illi fœda cicatrix
Setoſam leui frontem turpauerat oris.
Campanum in morbũ, in faciem permulta iocatus,
Paſtorem ſaltaret vti Cyclopa rogabat,
Nil illi larua, aut Tragicis opus eſſe cothurnis.
Multa Cycerrhus ad hac: donaſſet, iamne catenam
Ex voto Laribus quarebat: ſcriba quod eſſet,
Deterius nibilo domina ius eſſe: rogabat
Denique, cur vnquam fugiſſet, cui ſatis vna
Farris libra foret, gracili ſic, tamq; puſillo.
Prorſus iucundè cœnam produximus illam.
Tendimus hinc rectà Beneuentũ, vbi ſedulus hoſpes
Penè arſit, macros dum turdos verſat in igne.
Nam vaga per veterem dilapſo flamma culinam
Vulcano, ſummum properabat lambere tectum.
Conuiuas auidos cœnam, ſeruosq; timentes
Tum rapere, atq; omnes reſtinguere velle videres.
Incipit ex illo montes Apulia notos
Oſtentare mihi, quos torret Atabulus, & quos
Nunquam erepſemus, niſi nos vicina Triuici
Villa recepiſſet, lacrymoſo non ſine fumo,

Vdos cum folijs ramos vrente camino.
Hîc ego mendacem ſtultiſſimus vſq; puellam
Ad mediam noctem expecto: ſomnus tamen aufert
Intentum Veneri: tum immundo ſomnia viſu
Nocturnam veſtem maculāt; ventremq́; ſupinum.
Quatuor hinc rapimur, viginti & millia, rhedis,
Manſuri oppidulo, quod verſu dicere non eſt,
Signis perfacile eſt: vænit viliſſima rerum
Hic aqua, ſed panis longè pulcherrimus, vltra
Callidus vt ſoleat humeris portare viator,
Nam Canuſi lapidoſus, aqua non ditior vrna.
Qui locus, à forti Diomede eſt conditus olim.
Flentibus hinc varius diſcedit mœſtus amicis.
Inde Rubos feſſi peruenimus, vtpote longum
Carpentes iter, & factum corruptius imbri.
Poſtera tempeſtas melior, via peior, adusq́;
Bari mœnia piſcoſi. dehinc Gnatia lymphis
Iratis extructa, dedit riſusq́;, iocosq́;,
Dum flamma ſine, thura liqueſcere, limine ſacro
Perſuadere cupit. credat Iudæus apella,
Non ego. nanq; deos didici ſecurum agere æuum,
Nec ſi quid miri faciat natura, deos id
Triſtes ex alto cæli demittere tecto.
Brunduſium longæ finis chartæq́; viæq́;.

P. OVIDII NASONIS
in Miletum naui-
gatio.

Eſt

EST mihi, ſitq́;, precor, flaua tutela Mineruæ
  Nauis, & à picta caſſide nomen habet.
Siue opus eſt velis, minimam benè currit ad auram,
  Siue opus eſt remo, remige carpit iter.
Nec comites volucri contenta eſt vincere curſu,
  Occupat egreſſas quamlibet ante rates.
Et patitur fluctus, fertq́; aſſilientia longè
  Aequora, nec ſæuis victa madeſcit aquis.
Illa Corinthiacis primùm mihi cognita terris,
  Fida manet trepidæ duxq́;, comesq́; fugæ.
Perq́; tot euentus, & iniquis concita ventis
  Aequora, Palladio numine tuta fuit.
Nunc quoq; tuta, precor, vaſti ſecet oſtia ponti:
  Quasq́; petit Getici littoris intret aquas.
Quæ ſimul Aeoliæ mare me deduxit in Helles,
  Et longum tenui limite fecit iter:
Fleximus in læuum curſus, & ab Actoris vrbe
  Venimus in portus Imbria terra tuos.
Inde leui vento Zerinthia littora nacta
  Threïciam tetigit feſſa carina Samon.
Saltus ab hac terra breuis eſt Stantira petenti:
  Hac dominum tenus eſt illa ſecuta ſuum.
Nam mihi Biſtonios placuit pede carpere campos,
  Helles pontiacas illa reliquit aquas.
Dardaniamq́; petit autoris nomen habentem,
  Et te ruricola Lampſace tuta Deo.
Quaq́; per anguſtas malè vectæ virginis vndas
  Seſton Abydena ſeparat vrbe fretum.

Hincq́;

Hincq́; Propontiacis hærentem Cyzicon oris,
Cyzicon Aemoniæ nobile gentis opus.
Quaq́; tenent Ponti Byzantia littora fauces,
Hic locus eſt gemini ianua vaſta maris.
Hæc precor, euincat, propulſaq́; fortibus Auſtris
Tranſeat inſtabiles ſtrenua Cyaneas.
Thynniacosq́; ſinus, & ab his per Apollinis vrbem
Vecta ſub Anchiali mœnia findat iter.
Inde Meſembriacos portus, & Odeſſon, & arces
Prætereat dictas nomine Bacche tuo.
Et quos Alcathoës memorant à mœnibus ortos
Sedibus his profugos conſtituiſſe larem.
A quibus adueniat Miletida ſoſpes ad vrbem:
Offenſi quò me contulit ira Dei.
Hæc ſi contigerint, merita cadet agna Mineruæ.
Non facit ad noſtras hoſtia maior opes.
Vos quoq; Tyndaridæ, quos hæc colit inſula fratres,
Mite, precor, duplici numen adeſte rati.
Altera nanq; parat Symplegadas ire per altas,
Scindere Biſtonias altera puppis aquas.
Vos facite vt ventos, loca cum diuerſa petamus,
Illa ſuos habeat nec minus iſta ſuos.

SEX. PROPERTII AVRELII Vmbri iter Athenienſe, lib. 3. Elegia 19.

MAgnū iter ad doctas proficiſci cogor Athenas,
Vt me longa graui ſoluat amore via.

Creſ-

Creſcit enim aſſiduè ſpectando cura puellæ,
Ipſe alimenta ſibi maxima præbet amor.
Omnia ſunt tentanda mihi, quacunq; fugari
Poſſit, at ex omni me premit ipſe Deus.
Vix tamen aut ſemel admittit, cùm ſæpè negauit,
Seu venit, extremo dormit amica toro.
Vnum erit auxilium, mutatis Cynthia terris,
Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.
Nunc agite ô ſocij, propellite in æquora nauem,
Remorumq; pares ducite ſorte vices,
Iungiteq; extremo felicia lintea malo,
Nam liquidum nautis aura ſecundat iter.
Romanæ turres, & vos valeatis amici,
Qualiſcunq; mihi tuq; puella vale.
Ergo ego nunc rudis Adriaci vehar æquoris hoſpes,
Cogar & vndiſonos nunc prece adire Deos.
Deinde per Ionium vectus cum feſſa Lechæo
Sedarit placida vela phaſelus aqua.
Quod ſupereſt, ſufferte pedes, properate laborem,
Iſthmos quà terris arcet vtrinq; mare.
Inde vbi Piræi capient me litora portus,
Scandam ego Theſeæ brachia longa viæ.
Illic vel ſtudijs animum emendare Platonis.
Incipiam, aut hortis docte Epicure tuis,
Perſequar aut ſtudium linguæ Demoſthenis arma,
Librorumq; tuos docte Menandre ſales:
Aut certè tabulæ capient mea lumina pictæ,
Siue ebore exactæ, ſeu magis ære manus.

Aut

Aut ſpatia annorum aut longa interualla profundi
Lenibunt tacito vulnera noſtra ſinu.
Seu moriar, fato, non turpi fractus amore,
Atq; erit illa mihi mortis honeſta dies.

ITINERARII RVTILII CLAVdij Numatiani * Galli, viri Conſularis, præfectorij vrbis, Tribuni militum, præfecti Prætorio, Liber primus, ad

VENERIVM RVFIVM*.

VElocem potius reditum mirabere lector
Tam citò Romuleis poſſe carere bonis.
Quid longum toto Romam venerantibus æuo?
Nil vnquam longum eſt, quod ſine fine placet.
O quantum & quoties poſſem numerare beatos,
Naſci felici qui meruere ſolo.
Qui Romanorum procerum generoſa propago
Ingenitum cumulant vrbis honore decus.
Semina virtutum demiſſa & tradita cælo
Non potuere alijs dignius eſſe locis.
Felices etiam qui proxima munera primis
Sortiti latias obtinuere domos.
Relligioſa patet peregrinæ curia laudi,
Nec putat externos quos decet eſſe ſuos.

Ordi-

Ordinis imperio, collegarumq́; fruuntur,
Et partem genij, quem venerantur, habent,
Quale per ætherios mundani verticis axes
Connubium ſummi credimus eſſe Dei.
At mea dilectis fortuna reuellitur oris,
Indigenamq́; ſuum Gallica rura vocant.
Illa quidem longis nimiùm deformia bellis:
Sed quàm grata minùs, tam miſeranda magis.
Securos leuius crimen contemnere ciues,
Priuatam repetunt publica damna fidem.
Præſentes labrymas tectis debemus auitis,
Prodeſt admonitus ſæpè dolore labor.
Nec fas vlterius longas neſcire ruinas,
Quas mora ſuſpenſæ multiplicauit opis.
Iam tempus laceris poſt longa incendia fundis
Vel paſtorales ædificare caſas.
Ipſi quinetiam fontes ſi mittere vocem,
Ipſaq́; ſi poſſent arbuta noſtra loqui,
Ceſſantem iuſtis poterant vrgere querelis,
Et deſiderijs reddere vela meis.
Iamiam laxatus caræ complexibus vrbis
Vincimur, & ſerum vix toleramus iter.
Electum pelagus quoniam terrena viarum
Plana madent fluuijs, cautibus alta rigent.
Poſtquam Tuſcus ager, poſtquamq́; Aurellius agger
Perpeſſus geticas enſe, vel igne manus,
Non ſiluas domibus, non flumina ponte coërcet,
Incerto ſatius credere vela mari.

Cre-

Crebra relinquendis infigimus oſcula portis,
Inuiti ſuperant limina ſacra pedes.
Oramus veniam lachrymis,& laude litamus,
In quantum fletus currere verba ſinit.
Exaudi regina tui pulcherrima mundi
Inter ſidereos Roma recepta polos.
Exaudi genetrix hominum,genetrixq́; deorum
Non procul à cœlo per tua templa ſumus.
Te canimus,ſemperq́; ſinent dum fata,canemus.
Soſpes nemo poteſt immemor eſſe tui.
Obruerint citius ſcelerata obliuia ſolem,
Quàm tuus ex noſtro corde recedat honos.
Nam ſolis radijs æqualia munera tendis,
Quà circumfuſus fluctuat Oceanus.
Voluitur ipſe tibi,qui continet omnia,Phœbus,
Eq́; tuis ortus,in tua condit equos.
Te non flammigeris Libyæ tardauit arenis,
Non armata ſuo reppulit Vrſa gelu.
Quantum vitalis natura tetendit in axes,
Tantum virtuti pervia terra tuæ.
Feciſti patriam diuerſis gentibus vnam,
Profuit iniuſtis te dominante capi:
Dumq́; offers victis proprij conſortia iuris,
Vrbem feciſti, quod priùs orbis erat.
Auctorem generis Venerem Martemq́; fatemur,
Aeneadum matrem,Romulidumq́; patrem.
Mitigat armatas victrix clementia vires,
Conuenit in mores nomen vtrunq; tuos.

Hinc

Hinc tibi certandi bona parcendiq́ voluptas:
Quos timuit, ſuperat: quos ſuperauit, amat.
Inuentrix oleæ colitur, viniq́ repertor,
Et qui primus humo preſſit aratra puer.
Aras pæoniam meruit medicina per artem,
Fretus & Alcides nobilitate deus.
Tu quoq́ legiferis mundum complexa triumphis
Fœdere communi viuere cuncta facis.
Te dea te celebrat Romanus vbiq́ receſſus,
Pacificoq́ gerit libera colla iugo.
Omnia perpetuos quæ ſeruant ſidera motus,
Nullum viderunt pulchrius imperium.
Quid ſimile Aſſyrijs connectere contigit arma,
Medi finitimos cùm domuere ſuos?
Magni Parthorum reges, Macedumq́ tyranni
Mutua per varias iura dedere vices.
Nec tibi naſcenti plures animæq́ manusq́,
Sed plus conſilij, iudicijq́ fuit.
Iuſtis bellorum cauſis, nec pace ſuperba
Nobilis ad ſummas gloria venit opes.
Quòd regnas, minus eſt, quàm q́ regnare mereris,
Excedis factis grandia facta tuis.
Percenſere labor denſis decora alta tropheis,
Vt ſi quis ſtellas pernumerare velit:
Confunduntq́ vagos delubra micantia viſus:
Ipſos crediderim ſic habitare deos.
Quid loquar aërio pendentes fornice riuos?
Quà vix imbriferas tolleret Iris aquas.

Hos potius dicas creuiſſe in ſidera montes.
Tale Gigantæum Græcia laudat opus.
Intercepta tuis conduntur flumina muris,
Conſumunt totos celſa lauacra lacus.
Nec minus & proprijs celebrantur roſcida venis,
Totaq́ natiuo mœnia fonte ſonant.
Frigidus æſtiuas hinc temperat halitus auras,
Innocuamq́ leuat purior vnda ſitim.
Nempe tibi ſubitus calidarum gurges aquarum
Rupit Tarpeias hoſte premente vias.
Si foret æternus, caſum fortaſſe putarem:
Auxilio fluxit, qui rediturus erat.
Quid loquar incluſas inter laquearia ſiluas?
Vernula quæ vario carmine ludat auis.*
Vere tuo nunquam mulceri deſinit annus,
Delitiasq́ tuas victa tuetur hyems.
Erige crinales lauros, ſeniumq́ ſacrati
Verticis in virides Roma recinge comas.
Aurea Turrigero radient diademata cono,
Perpetuosq́ ignes aureus vmbo vomat.
Abſcondat triſtem deleta iniuria caſum.
Contemptus ſolidet vulnera clauſa dolor.
Aduerſis ſolem ne vis ſperare ſecunda:*
Exemplo cæli ditia damna ſubis.
Aſtrorum flamma renouant occaſibus ortus,
Lunam finiri cernis, vt incipiat.
Victoris Breni non diſtulit Allia Pœnum,
Samnis ſeruitio fœdera ſæua luit.

Poſt

Poſt multas Pyrrhum clades ſuperata fugaſti.
Fleuit ſucceſſus Annibal ipſe ſuos.
Quæ mergi nequeunt, nixu maiore reſurgunt,
Exiliuntq́; imis altiùs alta vadis.
Vtq́; nouas vires fax inclinata reſumit,
Clarior ex humili ſorte ſuperna petis.
Porrige victuras Romana in ſæcula leges,
Solaq́; fatales non vereare colos.
Quamvis ſedecies denis & mille peractis
Annus præterea iam tibi nonus eat.
Quæ reſtant nullis obnoxia tempora metis,
Dum ſtabunt terræ, dum polus aſtra feret.
Illud te reparat, quod cætera regna reſoluit,
Ordo renaſcendi eſt creſcere poſſe malis.
Ergo age ſacrilegæ tandem cadat hoſtia gentis,
Submittant trepidi perfida colla Getæ.
Ditia pacatæ dent vectigalia terræ,
Impleat Auguſtos barbara præda ſinus.
Aeternum tibi Renus aret, tibi Nilus inundet,
Altricemq́; ſuam fertilis orbis alat.
Quin & fœcundas tibi conferat Africa meſſes,
Sole ſuo diues, ſed magis Imbre tuo.
Interea Latijs conſurgant horrea ſulcis,
Pinguiaq́; heſperio nectare præla fluant.
Ipſe triumphali redimitus arundine Tybris,
Romuleis famulas oſſibus aptet aquas.*
Atq; opulenta tibi placidis commercia ripis
Deuehat hinc ruris, ſubuehat inde maris.

Pande precor gemino placatum Caſtore pontum,
Temperet æquoream dux Cytheræa viam.
Si non diſplicui, regerem cùm iura Quirini,
Si colui ſanctos, conſuluiq́ patres.
Nam quòd nulla meum ſtrinxerunt crimina ferrũ.
Non ſit præfecti gloria, ſed populi.
Siue datur patrijs vitam componere terris,
Siue oculis vnquam reſtituere meis,
Fortunatus agam, votoq́ beatior omni
Semper, digneris ſi meminiſſe mei.
His dictis iter arripimus, comitantur amici:
Non poſſum ſicca dicere luce Vale.
Iamq́ alijs Romam redeuntibus hæret eunti
Rufius Albini gloria viua patris,
Qui Voluſi antiquo deriuat ſtemmate nomen,
Et reges Rutulos, teſte Marone, refert.
Huius facundæ commiſſa palatia linguæ.
Primæuus meruit principis ore loqui.
Rexerat, antè puer populos pro conſule Pœnos,
Aequalis Tyrijs terror, amorq́ fuit.
Sædula promiſit ſummos imitatio faſces,
Si fas eſt meritis fidere, conſul erit.
Inuitum triſtis tandem remeare coëgi,
Corpore diuiſo mens tamen vna fuit.
Tum demum ad naues gradior, quà fronte bicorni
Diuiduus Tyberis dexteriora ſecat.
Læuus inacceſſis fluuius vitatur arenis:
Hoſpitis Aeneæ gloria ſola manet.

Et

Et iam nocturnis ſpatium laxauerat horis
Phœbus chelarum pallidiore polo,
Cunctamur tentare ſolum, portuq; ſedemus,*
Nec piget oppoſitis otia ferre moris,
Occidua infido dum ſæuit gurgite Plias,
Dumq; procelloſi temporis ira cadit,
Reſpectare iuuat vicinam ſæpius vrbem,
Et montes viſu deficiente ſequi,
Quaq; duces oculi grata regione fruuntur,
Dum ſe, quod cupiunt, cernere poſſe putant,
Nec locus ille mihi cognoſcitur indice fumo,
Qui dominas arces & caput orbis habet.
Quanquam ſigna leuis fumi commendat Homerus,
Dilecto quoties ſurgit in aſtra ſolo:
Sed cæli plaga candidior, tractusq; ſerenus
Signat ſeptenis culmina clara iugis.
Illic perpetui ſoles, atq; ipſe videtur,
Quem ſibi Roma facit, purior eſſe dies.
Sæpius attonitæ reſonant Circenſibus aures,
Nunciat accenſus plena theatra fauor.
Pulſato notæ redduntur ad æthera voces,*
Vel quia perueniunt, vel quia fingit amor.
Explorata fides pelagi terquinq; diebus,
Dum melior Lunæ fideret aura nouæ,
Tum diſceſſurus ſtudijs, vrbiq; remitto
Palladium generis ſpemq; decusq; mei.
Facundus iuuenis Gallorum nuper ab aruis
Miſſus Romani diſcere iura fori,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ille meæ ſecum dulciſsima vincula cunnæ
Filius affectu, ſtirpe propinquus habet.
Cuius Aremoricas pater Exuperantius oras
Nunc poſtliminium pacis amore docet.
Leges reſtituit, libertatemq́; reducit,
Et ſeruos famulis non ſinit eſſe ſuis.
Soluimus auroræ dubio quo tempore primùm,
Agnoſci patitur redditus arua color.
Progredimur paruis per littora proxima cymbis,
Quarum perfugio crebra pateret humus.
Aeſtiuos penetrent oneraria carbaſa fluctus,
Tutior autumnus nobilitate fugæ.*
Alſia prælegitur tellus: Pyrgiq́; recedunt
Nunc villæ grandes oppida parua prius.
Iam Ceretanos demonſtrat nauita fines,
Aeuo depoſuit nomen Agylla vetus.
Stringimus   & fluctu & tempore caſtrum,
Index ſemiruti porta vetuſta loci.
Præſidet exigui formatus imagine ſaxi,
Qui paſtorali nomina fronte gerit.
Multa licet priſcum nomen deleuerit ætas,
Hoc Inui caſtrum fama fuiſſe putat.
Seu Pan Tyrrhenis mutauit mænala ſiluis,
Siue ſinus patrios incola Faunus init.
Dum renouat largo mortalia ſemina fœtu,
Fingitur in Venerem pronior eſſe Deus.
Ad Centumcellas forti deflexímus hauſtro,
Tranquilla puppes in ſtatione ſedent.

Mo-

Molibus æquoreum concluditur amphitheatrum,
Anguſtosq́ aditus inſula facta tegit.
Attollit geminas turres, bifidoq́ meatu
Faucibus arctatis pandit vtrunq́ latus.
Nec poſuiſſe ſatis laxo naualia portu,
Ne vaga vel tutas ventilet aura rates.
Interior medias ſinus inuitatus in ædes,
Inſtabilem fixis aëra neſcit aquis.
*Qualis in Euboicis captiua natatibus vnda**
Suſtinet alterno brachia lenta ſono.
Noſſe iuuat Tauri dictas de nomine thermas,
Nec mora difficilis milibus ire tribus.
Non illic guſtu latices vitiantur amaro,
Lymphaq́ fumifico ſulphure tincta calet.
*Purus odor, mollisq́ ſapor dubitare labantem**
Cogit, qua melius parte petantur aquæ.
Credere ſi dignum famæ, flagrantia Taurus
Inueſtigato fonte lauacra dedit.
Vt ſolet excuſſis pugnam præludere glebis,
Stipite cùm rigido cornua prona terit.
Siue deus faciem mentitus & ora iuuenci,
Noluit ardentis dona latêre ſoli.
Qualis Agenorei rapturus grandia furti
Perfreta virgineum ſollicitauit onus.
Ardua non ſolos deceant miracula Graios,
Auctorem pecudem fons Heliconis habet.
Elicitas ſimili credamus origine nymphas,
Muſarum latices vngula fodit equi.

Hæc quoq; Pierijs ſpiracula comparat antris,
Carmine Meſſalæ nobilitatus ager.
Intrantemq́; capit, diſcedentemq́; moratur
Poſtibus affixum dulce poëma ſacris.
Hic eſt qui primo ſeriem de conſule ducit,
Vſq; ad Publicolas ſi redeamus auos.
Hic & præfecti nutu prætoria rexit:
Sed menti & linguæ gloria maior ineſt.
Hic docuit, qualem poſcat facundia ſedem,
Vt bonus eſſe velit, quiſq; diſertus erit.
Roſcida puniceo fulſere crepuſcula cælo:
Pandimus obliquo lintea flexa ſinu.
Pauliſper littus fugimus Munione vadoſum,*
Suſpecto trepidant hoſtia parua ſolo.
Inde Grauiſcarum faſtigia rara videmus,
Quas premit æſtiuæ ſæpè paludis odor.
Sed nemoroſa viret denſis vicinia lucis,*
Pineaq; extremis fluctuat vmbra fretis.
Cernimus antiquas nullo cuſtode ruinas,
Et deſolatæ mœnia fœda Coſæ.
Ridiculam cladis pudet inter ſeria cauſam*
Promere, ſed riſum diſſimulare piget.
Dicuntur ciues quondam migrare coacti,
Muribus infeſtos deſeruiſſe lares.
Credere maluerim pygmeæ damna cohortis,
Et coniuratas in ſua bella grues.
Haud ꝓcul hinc petitur ſignatus ab Hercule portus:
Vergentem ſequitur mollior aura diem.

Inter

Inter caſtrorum veſtigia ſermo retexit
Sardoam Lepido præcipitante fugam.*
Littore nanq; Coſæ cognatos depulit hoſtes,
Virtutem Catuli Roma ſecuta ducis.
Ille tamen Lepidus peior ciuilibus armis,
Qui geſſit ſocijs impia bella tribus.
Qui libertatem Mutinenſi Marte receptam
Obruit auxilijs vrbe fauente nouis.*
Inſidias paci moliri tertius auſus,
Triſtibus excepit congrua fata reis.
Quartus Cæſareo dum vult irrepere regno,
Inceſti pœnam ſoluit adulterij.
Nunc quoque, ſed melius, de noſtris fama queretur,
Iudex poſteritas ſemina dira notet.
Nominibus certos credam decurrere mores,
Moribus an potius nomina certa dari?
Quidquid id eſt mirus latijs annalibus ordo,
Quod lepidum toties reccidit enſe malum.
Necdum deceſſis pelago permittitur vmbris,
Natus vicino vortice ventus adeſt.
Tenditur in medias mons Argentarius vndas,
Ancipitiq; iugo cærula curua premit.*
Tranſuerſos colles biſternis millibus artat,*
Circuitu ponti terduodena patet.
Qualis per geminos fluctus Ephyreius iſthmos
Ionias bimari littore findit aquas.
Vix circumuehimur ſparſæ diſpendia rupis,
Nec ſinuoſa graui cura labore caret.

Mutantur totiens vario ſpiramina flexu:
Quæ non profuerant vela, repente nocent.*
Eminus Igilij ſiluoſa cacumina miror,
Quam fraudare nefas laudis honore ſuæ.
Hæc proprios nuper tutata eſt inſula ſaltus,
Siue loci ingenio, ſeu domini genio.
Gurgite cùm modico victricibus obſtitit armis,
Tanquam longinquo diſſociata mari.
Hæc multos lacera ſuſcepit ab vrbe fugatos,
Hîc feſſis poſito certa timore ſalus.
Plurima terreno populauerat æquora bello
Contra naturam claſſe timendus eques.
Vnum, mira fides, vario diſcrimine portum
Tam propè Romanis, tam procul eſſe Getis.
Tangimus Vmbronem: non eſt ignobile flumen,
Quod tuto trepidas excipit ore rates.
Tam facilis pronis ſemper patet alueus vndis,
In pontum quoties ſæua procella ruit.
Hîc ego tranquillæ volui ſuccedere ripæ,
Sed nautas auidos longiùs ire ſequor.
Sic feſtinantem ventusq́, diesq́ reliquit,
Nec proferre pedem, nec reuocare licet.
Littorea noctis requiem metamur arena,
Dat veſpertinos myrtea ſilua focos.
Paruula ſubiectis facimus tentoria remis,
Tranſuerſus ſubito culmine contus erat.
Lux aderat, tonſis progreßi ſtare videmur:
Sed curſum proræ terra relicta probat.

Oc-

Occurrit chalybum memorabilis Ilua metallis,
Qua nihil vberius Norica gleba tulit.
Non Biturix largo potior ſtrictura camino,
Nec qua ſardonio ceſpite maſſa fluit.
Plus confert populis ferri fœcundia creatrix,
Quàm Tarteſſiaci glarea fulua Tagi.
Materies vicijs aurum lætale parandis,
Auri cæcus amor ducit in omne nefas.
Aurea legitimas expugnant munera tædas,
Virgineosq́ſinus aureus imber emit.
Auro victa fides munitas decipit vrbes,
Auri flagitijs ambitus ipſe furit.
At contrà ferro ſqualentia rura coluntur,
Ferro viuendi prima reperta via eſt.
Secula ſemideûm ferrati neſcia Martis
Ferro crudeles ſuſtinuere feras.
Humanis manibus non ſufficit vſus inermis,
Si non ſint aliæ ferrea tela manus.
His mecum pigri ſanabar tædia venti,*
Dum reſonat varijs vile celeuma modis:
Laſſatum cohibet vicina Faleria curſum,
Quanquam vix medium Phœbus haberet iter.
*Et tum fortè ilares per compita ruſtica ſagi**
Mulcebant ſacris pectora feſſa iocis.
Illo quippe die tandem renouatus Oſyris
Excitat in fruges germina læta nouas.
Egreſſi villam petimusq́, lutoq́, vagamur,
Stagna placent ſepto delitioſa vado,

Ludere laſciuos inter viuaria piſces
Gurgitis incluſi laxior vnda ſinit.
Sed malè penſauit requiem ſtationis amœnæ
Hoſpite conductor durior Antiphate.
Nanq; loci querulus curam Iudæus agebat,
Humanis animal diſſociale cibis.
Vexatos frutices, pulſatas imputat algas,
Damnaq; libatæ grandia clamat aquæ.
Reddimus oſcenæ conuicia debita genti,
Quæ genitale caput propudioſa metit.
Radix ſtultitiæ, cui frigida ſabbata cordi:
Sed cor frigidius relligione ſua eſt.
Septima quæq; dies turpi damnata veterno,
Tanquam laſſati mollis imago dei.
Cætera mendacis deliramenta cataſtæ,
Nec pueros omnes credere poſſe reor.
Atq; vtinam nunquam Iudæa ſubacta fuiſſet
Pompeiј bellis, imperioq; Titi.
Latiùs exciſæ peſtis contagia ſerpunt,
Victoresq; ſuos Natio victa premit.
Aduerſus ſurgit boreas, ſed nos quoq; remis
Surgere certamus, cùm tegit aſtra dies.
Proxima ſecurum reſerat Populonia littus,*
Quà naturalem ducit in arua ſinum.
Non illic poſitas extollit in æthera moles
Lumine nocturno conſpicienda Pharos:
Sed ſpeculum validæ rupis ſortita vetuſtas,
Quà fluctus domitos arduus vrget apex.

Ca-

Caſtellum geminos hominum fraudauit in vſus *
Præſidium terris, indiciumq́; fretis.
Agnoſci nequeunt æui monimenta prioris,
Grandia conſumpſit mœnia tempus edax.
Sola manent interceptis veſtigia muris:
Ruderibus latis tecta ſepulta iacent.
Non indignemur mortalia corpora ſolui,
Cernimus exemplis oppida poſſe mori.
Lætior hîc noſtras crebreſcit fama per aures,
Conſilium Romam penè redire fuit.
Hîc præfecturam ſacræ cognoſcimus vrbis
Delatam meritis dulcis amice tuis.
Optarem verum complecti carmine nomen,
Sed quoſdam refugit regula dura pedes.
Cognomen verſu Veneris cariſſime Ruſi
Illo te dudum pagina noſtra canit.
Feſta dies, pridemq́; meos dignata penates,
Poſte coronato vota ſecunda colat.
Exornent virides communia gaudia rami,
Prouecta eſt animæ portio magna meæ
Sic mihi ſic potius placeat geminata poteſtas,
Per quem mallueram, rurſus honore fruar.
Currere curamus velis aquilone reuerſo,
Cùm primùm roſeo fulſit Eous equo.
Incipit obſcuros oſtendere Corſica montes:
Nubiferumq́; caput concolor vmbra leuat.
Sic dubitanda ſolet gracili vaneſcere cornu,
Defeſſisq́; oculis Luna reperta latet.

Hæc

Hæc ponti breuitas auxit mendacia famæ,
Armentale ferunt quippe nataſſe pecus,
Tempore Cyrnæas quo primùm venit in oras,
Fortè ſecuta vagum fœmina Corſa bouem.
Proceſſu pelagi iam ſe Capraria tollit,
Squallet lucifugis inſula plena viris.
Ipſi ſe monacos graio cognomine dicunt,
Quòd ſoli nullo viuere teſte volunt.
Munera fortunæ metuunt, dum damna verentur:
Quiſquam ſponte miſer ne miſer eſſe queat?
Quænam peruerſi rabies tam ſtulta cerebri,
Dum mala formides, nec bona poſſe pati?
Siue ſuas repetunt ex fato ergaſtula pœnas,
Triſtia ſeu nigro viſcera felle tument.
Sic nimiæ bilis morbum aſſignauit Homerus
Bellerophonteis ſollicitudinibus.
Nam iuueni offenſo ſæui poſt tela doloris
Dicitur humanum diſplicuiſſe genus.
In Volaterranum verò Vada nomine tractum
Ingreſſus dubij tramitis alta lego.
Deſpectat proræ cuſtos, clauumq́; ſequentem
Dirigit, & puppim voce monente regit.
Incertus gemina diſcriminat arbore fauces,
Defixasq́; offert limes vterque ſudes.
Illis proceras mos eſt adnectere lauros
Conſpicuas ramis & fruticante coma,
Vt præbente algam denſi ſymplegade limi
Seruet inoffenſas ſemita clara notas.

Illic

Illic me rapidus conſiſtere corus adegit,
Qualis ſiluarum frangere luſtra ſolet.
Vix tuti domibus ſæuos tolerauimus Imbres,
Albini patuit proxima villa mei.
Nanq; meus, quem Roma meo ſubiunxit honori,
Per quem iura meæ continuata togæ
Non expectatos penſauit laudibus annos,
Vitæ flore puer, ſed grauitate ſenex.
Mutua germanos iunxit reuerentia mores,
Et fauor alternis creuit amicitijs.
Prætulit ille meas, cùm vincere poſſet, habenas:
Prædeceſſoris maior amore fuit.
Subiectas villæ vacat aſpectare ſalinas,
Nanq; hoc cenſetur nomine ſalſa palus.
Quà mare terrenis decliue canalibus intrat,
Multifidosq; lacus paruula foſſa rigat.
Aſt vbi flagrantes admouit Sirius ignes,
Cùm pallent herbæ, cùm ſitit omnis ager,
Cùm cataractarum clauſtris excluditur æquor,*
Vt fixos latices horrida duret humus.
Concipiunt acrem natiua coagula Phœbum,
Et grauis æſtiuo cruſta colore coït,
Haud aliter quàm cùm glacie riget horridus Iſter,
Grandiaq; adſtricto flumine plauſtra vehit.
Rimetur ſolitas naturæ expendere cauſas,
Inq; pari diſpar fomite quærat opus.
Iuncta fluenta gelu conſpecto ſole liqueſcunt,
Et rurſus liquidæ ſole gelantur aquæ.

O quàm ſæpè malis generatur origo bonorum,
Tempeſtas dulcem fecit amara moram.
Victorinus enim, noſtræ pars maxima mentis,
Congreſſu expleuit mutua vota ſuo.
Errantem Tuſcis conſidere compulit agris,
Excolere externos capta Toloſa lares.
Nec tantùm duris nituit ſapientia rebus,
Pectora non alio proſperiora tulit.*
Conſulis Oceanus virtutum, conſcia Thule,*
Et quicunq; ferox arua Britannus arat.
Quà præfectorum vicibus frænata poteſtas
Perpetuum magni fœnus amoris habet.
Extremum pars illa quidem diſceſſit in orbem,
Sed tanquam medio rector in orbe fuit.
Plus palma eſt illos inter voluiſſe placere,
Inter quos minor eſt diſplicuiſſe pudor.
Illuſtris nuper ſacræ comes additus aulæ,
Contempſit ſummos ruris amore gradus.
Hunc ego complexus, ventorum aduerſa feſelli,
Dum videor patriæ iam mihi parte frui.
Lutea protulerat ſudos aurora iugales,
Antennas tendi littoris vnda iubet.
Inconcuſſa vehit tranquillus apluſtria flatus,
Mollia ſecuro vela rudente tremunt.
Aſſurgit ponti medio circunflua Gorgon
Inter Piſanum Cyrnaicumq; latus,*
Aduerſus ſcopulos, damni monimenta recentis,
Perditus hic viuo funere ciuis erat.

No-

Noſter enim nuper iuuenis maioribus amplis,
Nec cenſu inferior, coniugióue minor,
Impulſus furijs homines, diuosq́; reliquit,
Et turpem latebram credulus exul agit.
Infelix putat illuuie cæleſtia paſci,
Seq́; premit læſis ſæuior ipſe deis.
Num rogo deterior Circæis ſecta venenis?
Tunc mutabantur corpora: nunc animi.
Inde Triturritam petimus, ſic villa vocatur,
Quæ latet expulſis inſula penè fretis.
Nanq́; manu iunctis procedit in æquora ſaxis,
Quiq́; domum poſuit, condidit antè ſolum.
Contiguum ſtupui portum, quem fama frequentat
Piſarum emporio, diuitijsq́; maris.
Mira loci facies pelago pulſatur aperto,
Inq́; omnes ventos littora nuda patent.
Nonnullus* tegitur per brachia tuta receſſus,
Aeolias poſſit qui prohibere minas.
Sed procera ſuo prætexitur alga profundo,
Molliter offenſæ non nocitura rati:
Et tamen inſanas cedendo interrigat vndas,
Nec ſinit ex alto grande volumen agi.
Tempora nauigij* clarus reparauerat Eurus.
Sed mihi Protadium viſere cura fuit:
Quem qui fortè velit certis cognoſcere ſignis,
Virtutis ſpeciem corde vidente petat.
Nec magis efficiet ſimilem pictura colorem,
Quàm quæ de meritis miſta figura venit.

Aſpicienda procul certo prudentia vultu,
Formaq; iuſtitiæ ſuſpicienda micat.
Sit fortaſſe minus, ſi laudet Gallia ciuem,
Teſtis Roma ſui præſulis eſſe poteſt.
Subſtituit patrijs mediocres Vmbria ſedes,
Virtus fortunam fecit vtraq; parem.*
Mens inuicta viri pro magnis parua tuetur,
Pro paruis animo magna fuere ſuo.
Exiguus regum rectores ceſpes habebat,
Et Cincinnatos iugera pauca dabant.
Hac etiam nobis non inferiora feruntur
Vomere Serrani, Fabricijq; foco.
Puppibus ergo meis fida in ſtatione locatis,
Ipſe vehor Piſas, quà ſolet ire pedes.
Præbet equos, offert etiam carpenta tribunus
Ex commilitio carus & ipſe mihi,
Officijs regerem cùm regia tecta magiſter,
Armigerasq; Pij principis excubias,
Alpheæ veterem contemplor originis vrbem,
Quam cingunt geminis Arnus & Auſur aquis.*
Conum Pyramidis coëuntia flumina ducunt,
Intratur modico frons patefacta ſolo.
Sed proprium retinet communi in gurgite nomen,
Et pontum ſolus ſcilicet Arnus adit.
Antè diu quàm Troiugenas fortuna penates
Laurentinorum regibus inſereret.
Elide deductas ſuſcepit Etruria Piſas,
Nominis indicio teſtificata genus.

Hic

Hic oblata mihi ſancti genitoris imago,
Piſani proprio quam poſuere foro.
Laudibus amiſſi cogor lachrimare parentis,
Fluxerunt madidis grandia mœſta genis.
Nanq; pater quondam Tyrrhenis præfuit aruis,
Faſcibus & ſenis credita iura dedit.
Narrabat, memini, multos emenſus honores,
Tuſcorum regimen plus placuiſſe ſibi.
Nam neq; opũ curam, quamuis ſit magna, ſacrarũ,
Nec ius quæſturæ grata fuiſſe magis.
Ipſam ſi fas eſt poſtponere præfecturam,
Pronior in Tuſcos non dubitabat amor:
Nec fallebatur tam carus & ipſe: probatis
Aeternas grates mutua cura canit:
Conſtantemq; ſibi pariter, mitemq; fuiſſe
Inſinuant natis qui meminere ſenes.
Ipſum me gradibus non degeneraſſe parentis
Gaudent, & duplici ſedulitate fouent.
Hac eadem cum Flamminiæ regionibus irem,
Splendoris patrij ſæpè reperta fides.
*Famam Lachanij veneratur nominis inſtar**
Inter Turrigenas Lydia tota ſuos.
Grata bonis priſcos retinet prouincia mores,
Dignaq; rectores ſemper habere bonos.
Qualis nunc Decius Lucilli nobile pignus
Per Corythi populos arua beata regit.
Nec mirum, magni ſi redditus indole nati
Felix tam ſimili poſteritate pater.

Huius vulnificis ſatyra ludente camœnis
Nec Turnus potior, nec Iuuenalis erit.
Inſtituit veterem cenſoria lima pudorem:
Dumq́; malos carpit, præcipit eſſe bonos.
Non olim ſacri iuſtiſsimus arbiter auri*
Circunſiſtentes reppulit Harpyïas,
Harpyïas, quarum decerpitur vnguibus orbis,
Quæ pede glutineo, quod tetigere, trahunt.
Quæ luſcum faciunt Argum, quæ Lyncea cæcum:
Inter cuſtodes publica furta volant.
Sed non Lucillum Briareia præda fefellit,
Totq́; ſimul manibus reſtitit vna manus,
Iamq́; Triturritam Piſæa ex vrbe reuerſus
Aptabam nitido pendula vela noto,
Cùm ſubitis tectus nimbis inſorduit æther,
Sparſerunt radios nubila rupta vagos.
Subſtitimus. quis enim ſub tempeſtate maligna
Inſanituris audeat ire fretis?
Otia vicinis terimus naualia ſiluis,
Sectandisq́; iuuat membra mouere feris.
Inſtrumenta parat venandi villicus hoſpes,
Atq́; olidum doctas noſſe cubile canes.
Funditur inſidijs: & rara fraude plagarum,
Terribilisq́; cadit fulmine dentis aper.
Quem meleagræi vereantur adire lacerti,
Qui laxet nodos Amphitryoniadæ.
Tum reſponſuros perſultat buccina colles,
Fitq́; reportandæ carmine præda leuis.*

In-

Interea madidis non deſinit Africus alis
Continuos picea nube negare dies.
Iam matutinis Hyades occaſibus vdæ,
Iam latet hyberno conditus hymbre lepus:
Exiguum radijs ſed magnis fluctibus aſtrum,
Quo madidam nullus nauita linquit humum.
Nanq; procelloſo ſubiungitur Oarioni,*
Aeſtiferumq; canem roſcida præda fugit.
Vidimus excitis pontem flaueſcere arenis,
Atq; eructato vortice rura tegi.
Qualiter Oceanus medijs infunditur agris,
Deſtituenda vago cùm premit arua ſalo:
Siue alio refluus noſtro colliditur orbe,
Siue coruſca ſuis ſidera paſcit aquis.

ITINERARII RVTILII CLAVdij Numatiani de reditu ſuo, Liber ſecundus.

NOndũ lõgus erat, nec multa volumina paſſus
Iure ſuo poterat longior eſſe liber:
Tædia continuo timuit ceſſura labori,
Sumere ne lector iuge paueret opus.
Sæpè cibis affert ſerus faſtidia finis,
Gratior eſt modicis hauſtibus vnda ſiti.
Interualla viæ feſſis præſtare videtur,
Qui notat inſcriptus milia crebra lapis.

Partimur trepidum per opuſcula bina ruborem,
Quem ſatius fuerat ſuſtinuiſſe ſemel.
Tandem nimboſa maris obſidione ſolutis,
Piſano portu contigit alta ſequi.
Adridet placidum radijs criſpantibus æquor,
Et ſulcata leui murmurat vnda ſono.
Incipiunt Appenini deuexa videri,
Quà fremit aërio monte repulſa Thetis:
Italiam rerum dominam qui cingere viſu,
Et totam pariter cernere mente velit,
Inueniet quernæ ſimilem procedere frondi,
Artatam laterum conueniente ſinu.
Milia per longum decies centena teruntur
A Ligurum terris ad freta Sicaniæ.
In latum varijs damnoſa anfractibus intrat
Tyrrheni rabies, Adriacíq; ſalis.*
Quà tamen eſt iuncti maris anguſtiſſima tellus,
Triginta & centum milia ſola patet,
Diuerſas medius mons obliquatur in vndas,
Quà fert atq; refert Phœbus vterq; diem.
Vrget Dalmaticos eoo vertice fluctus,
Cærulaq; occiduis frangit Etruſca iugis.
Si factum certa mundum ratione fatemur,
Conſiliumq; Dei machina tanta fuit,
Excubijs Latijs prætexuit Appeninum:
Clauſtraq; montanis vix adeunda vijs.
Inuidiam timuit natura, parumq; putauit
Arctoïs Alpes oppoſuiſſe minus.

Sicut

Sicut vallauit multis vitalia membris,
Nec ſemel incluſit, quæ pretioſa tulit,
Iam tum multiplici meruit munimine cingi,
Sollicitosq́; habuit Roma futura deos.
Quo magis eſt facinus diri Stiliconis acerbum,
Proditor arcani quòd fuit imperij.*
Romano generi dum nititur eſſe ſuperſtes,
Crudelis ſummis miſcuit ima furor:
Dumq́; timet, quidquid ſe fecerat ipſe timeri,
Immiſit latiæ barbara tela neci.
Viſceribus nudis armatum condidit hoſtem
Illatæ cladis liberiore dolo.
Ipſa ſatellitibus pellitis Roma patebat,
Et captiua prius, quàm caperetur, erat.
Nec tantùm Geticis craſſatus proditor armis,
Ante Sibyllinæ fata cremauit opis.
Odimus Althæam conſumpti funere torris.
Niſæum crimen flere putantur aues.
At Stilico æterni fatalia pignora regni,
Et plenas voluit præcipitare colos.
Omnia tartarei ceſſent tormenta Neronis,
Conſumat ſtygias triſtior vmbra faces.
Hic immortalem, mortalem perculit ille:
Hic mundi matrem perculit, ille ſuam.
Sed diuerticulo fuimus fortaſſe loquaces,
Carmine propoſito iam repetamus iter.
Aduehimur celeri candentia mœnia lapſu,
Nominis eſt auctor ſole coruſca ſoror.

Indigenis ſuperat ridentia lilia ſaxis,
E leui radiat picta nitore ſilex.
Diues marmoribus tellus, quæ luce coloris
Prouocat intactas luxurioſa niues.

Reliqua deſiderantur.

SEQVVNTVR HODOEPORICA ſiue Itineraria RECENTIORVM.

HYPOMNEMATA HODOEPORICA GEORGII FABRICII AD Chriſtophorum Leuſchnerum in Italiam euntem.

LEVSCHNERE, *Italicas qui migras hoſpes ad vrbes,*
Hæc lege, nec ſegni mente reconde memor.
Oenotrij fugias ardentia munera Bacchi,
Sobria Aminæum temperet vnda merum.
Non altè patinas extructas, plenaq́; menſæ
Fercula Teutonicæ delicioſus ames.
Aſpera Sirenum frangentes pectora voces,
Dulychij ſapiens more relinque ducis.
Adriacæ blandæ ſunt vultu & voce puellæ:
His ſi credideris, poſtea nullus eris.

Nec

Nec Daphnea tibi circumibit tempora laurus,
Ni vites cupidæ furta proterua deæ.
Non colit illa Gnidum, non amplius illa Panormũ,
Tota habitat Veneta mollis in vrbe Venus.
Hanc quoq; dum vitas, alias vitare memento:
Serpit enim ex illa latius vrbe malum.
Vni etiam & noto tua pectora crede ſodali,
Nec cole multiplices cautus amicitias.
Cumq; peregrinis quoniam tibi degitur æuum,
Aequa hominum mores diſcito mente pati.
Non inimicitias cum quoquam ſuſcipe: laudã,
Quod potes, & tacita cætera mente preme.
Nec ſtudia illorum ſtudijs tua præfer, in illis
Nam vult ingenio cedere nemo locis.
Erga omnes facilis ſis verbis, credito paucis,
Deq; bonis ſtudijs ſit tibi ſermo frequens.
Inuenies medijs doctos concurrere vicis:
Certamen laudis porticus omnis habet.
Nec ſolet hîc iuuenum de nugis dicere turba,
Dum ſtudet ingenio vincere quiſque ſuo.
Quos cernes alacres de ſumma ſurgere nocte,
Aſsiduosq; ſuis inuigilare libris.
Et ſunt, optatæ dum quærunt præmia palmæ,
Ante ſuam miſeri qui cecidere diem.
Barbarus hîc mos eſt, ſtrepitu & clamore cathedris
Pellere, Muſarũm qui ſacrã donã ferũnt.
Hunc fuge: nec ſecus ac caros venerare parentes,
Doctrina quorum cultior eſſe potes.

Hæc memoranda tibi, qui laudis amore teneris,
Et cupis in patriam dulce referre decus.
Tum quoq;, cùm feruent Nemeæi ſigna leonis,
Et micat Icarij Siria ſtella canis:
Ne tibi ſit campos demens luſtrare cupido,
Aut etiam longas carpere velle vias.
Hæc nocuit Cordo, Borragineoq;, voluptas,
Cùm foret Aonio dignus vterq; choro.
Hunc diues Lubeca, illum Simeſuſia parua
Iactat, hic in patria primus, & ille ſua.
Norat Apollineas hic herbas, norat & ille:
Sed non herba feram ſuſtulit vlla luem.
Huius enim oſtentat iam docta Bononia marmor,
Illius at cineres Romula terra tegit.
Auſonias quòd ſi vis latius ire per oras,
In primis cauto noueris ire gradu.
Hoſpes ab hoſte tenet quia nomina, quærere plura
Noli: blanditijs neu capiare, caue.
Hæc quæ voce licet noſtra Leuſchnere monere,
Perlege, fortunæ cætera mando tuæ.

FINIS

ITER ROMANVM PRImum, ad Antonium Carcheſium.

Tro-

TRoiani egreſſos nos primùm Antenoris vrbe, Patauium
Excipit Adriaci regnatrix inclyta ponti, vrbs.
Vrbs Venetûm, fœcunda viris, veneranda ſenatu Venetiæ
Purpureo, & magnæ virtutibus æmula Romæ. vrbs.
Hæc quamuis ipſo fundata ſit æquoris æſtu,
Tot tamen excelſas ædes, tot regia tecta
Vna habet, Europæ quot noſtris nulla ſub annis.
Pro portis illi eſt Nereus, pro mœnibus æquor,
Quadrupedumq́; loco celeres ſubiere carinæ.
Hic loca, non benè nota priùs, vecti omnia circum,
Templa, forum, turrim, campos, nauale, tabernas,
Cernentes, ſtrepitumq́; vrbis, populosq́; frequentes,
Artificumq́; manus variorum, hominumq́; labores:
Vnam collectum mundum miramur in vrbem.
Inde ſumus Clugias velo remisq́; profecti, Foſſa Clo-
In quas Foſſa vetus mutauit Clodia nomen. dia opp.
Primus erat ſuperare labor, quod Rheticus amnis Brundulũ
Oſtium, & alter adhuc Patauinis auget ab agris, oſtium.
Quodq́; Philiſtinæ gaudet cognomine foſſæ: Philiſtina
Hinc vrgemus equos per ſiccas littore harenas, foſſa.
Perq́; vias planas traiectibus interruptas,
Quà ſe populifer pleno cum flumine miſcet Padus fl.
Eridanus pelago. hîc inter Gorum atq; Volanen Gorũ, Vo-
Penè ſibi fregit Meurerus crura, cadente lane, oſtia.
Lapſus equo, ferro nimium & calcaribus vſus. Capraſiæ.
Nec fuit alterius melior fortuna diei, Spineticũ oſtium.
Inter Capraſias, euerſaq́; mœnia Spinæ, Rauenna
Antequam ad vluoſa ſtagnantia culta Rauennæ vrbs.

Ve-

Venimus:hîc feſſos paulum reparauimus artus,
Contemplati humiles muros,& templa deorum
Ardua,& inſignes antiquo marmore poſtes.
Auguſtæ in primis monumenta ſuperba puellæ,
Cui mores Placidæ,mater dat nomina Gallæ,
Atq; tuum Dantes quoq; Florentine ſepulchrum.
Plurima præterea Gothico quæ marmora bello
Ceruia op. Tranſtulit Auſonia rex Theodoricus ab vrbe.
Hinc ſe digreſſis oſtendit Ceruia nobis
Parua,ſed inſolito Muſis digniſſima facto.
Audacis iuuenis vim paſſa inuita puella,
Dedecus eſt confeſſa ſuum,teſtataq; diuos
Præfecto coram,& multum conqueſta,rogauit,
Quo precio dignus,qui talia facta patraret?
Virtutem miratus,ait:Si filius eſſet
Hic meus,ipſe darem feriendum colla ſecuri.
Illa oculos demiſſa:Fuit ſed filius,inquit,
Hic tuus.indigno motus ſermone puellæ
Ipſe pater,natum ad pœnam pro laude vocauit.
Sapis fl. Hoc mihi dum quidam factum narraret eunti,
Celenæ portus. Interea foſſas ſalſas,& Sapidis vndam,
Et prope candentes Ceſenæ ſulphure montes
Traijcimus portum,ſed non intrauimus vrbem.
Nec guſtare fuit Lenæi munera tempus,
Quæ tulit in modicas Mecœnas optima menſas,
Iſto propagata loco melioribus annis.
Rubicõ fl. Hinc ventum ad parui flumen Rubiconis, & vrbem
Ariminum opp. Herculeam:prope quam ſcelerato Iulius auſu,

Cùm

Cùm peteret patriam, violans mandata Senatus,
Torſerat in patrios hoſtilia pila penates.
Pons hic ab Auguſto conſtructus Cæſare, & arcus
Cui titulum victi, nomenq́ dedêre Liburni.
Poſtea Cruſtumioq́ cito, placidaq́ Quadenna, Cruſtumium.
Non curſu ſegni ſuperata, & montibus altis, Quadēna, fluuij.
Multùm nitentes Vrbini aſcendimus arcem. Vrbinum vrbs.
Hoc Fridericus opus Phœbo Muſisq́ dicauit:
Et docuit, forti quid ſit ſapienteq́ dignum
Principe. quàm mores mutarunt tempora priſcos?
Nam quod pro virtute ſua Fridericus agebat,
Nemo agit: in luxu nunc tempus perditur, & res.
Hac via recta quidem quamuis non eſſet ituris,
Fama tamen clari commouit principis, atq́
Librorum veterum multa & precioſa ſupellex.
Inter Iſaure tuas ripas, interq́ Metaure, Iſaurus, Metaurus, fluuij.
Ad mare deinde vias cœptas deflectimus, & nos
Accipit antiquo celebratum vate Piſaurum: Piſaurum oppidum.
Vel quòd ab appenſo Gallorum dicitur auro:
Vel tenet à fluuio, velut oppida plurima, nomen:
Hinc amne, ac firmis munitum mœnibus illinc.
Principis huic Mariæ Franciſci proxima villa eſt,
Cauſa animi, quam dilecto Leonora marito,
Ex bellis poſuit redeunti, dulce laborum
Poſt graue Martis opus, poſt aſpera bella leuamen.
Tunc aliud placuit Vuertero, ne quid inauſum
Linqueret, ignoto vitam committere ponto.
Tres tamen aduerſus dum ſoles detinet Eurus,

Et negat Adriaci Neptunus tuta profundi,
Argilla fl. *Rurſus equo vectis tranſmiſſa Argilla, propinquas*
Fanũ Fortunæ opp. *Deſpicit hic valles, vrbs & memorabile Fanum*
Metaurus fluuius. *Fortunæ, Haſdrubaliſq; notatus clade Metaurus,*
Qui vagus ambiguis curuans ſe flexibus errat.
Non procul hinc ſectæ dicuntur viſcera rupis,
Petra pertuſa. *Nomina Pertuſæ nunc nacta recentia petræ.*
Iam ſuperatus erat rapidi pons ligneus amnis,
Mox atro denſos effundens Iuppiter imbres
Aethere labentum de montibus auxit aquarum
Miſa fl. *Curſus: vix ope ſum Miſæ ſeruatus in vndis*
Vectoris, quia me torta vortigine cæcum,
Iam vortex celeri raptabat in æquora curſu.
Senogallia oppidum. *Lætius intrata eſt Senonum de nomine dicta*
Gallia, quam iuxta non magno Nebia portu.
Altera lux etiam cœlo non orta ſereno,
Atq; infauſta fuit Vuertero, qui prope ripam
Aeſis fl. *Aeſidis, in foſſam fortuna lapſus iniqua eſt.*
Ancona vrbs. *Sed tandem Anconam delatis, longa malorum*
Oblita eſt ſeries: namq; aſpera ferre recuſans,
Segnis inerſq; domi ſedeat ſtertatq; neceſſe eſt.
Non ſecus ac vaſtum iactatus nauta per altum,
Cùm ſubijt portu, non amplius ille pericli eſt,
Ventorumq; memor: ſic nos in gaudia curas
Soluimus, à ſuperis deinceps meliora precati.
Viſus ibi portas Traiani, viſa locorum
Ornamenta alia, & quæ Paulus tertius addit
Clauſtra mari magno, ac validis munimina portis.

Viſa etiam piſcis cuiuſdam coſta marini,
Qui viuus turres æquarat, & alta domorum
Tecta (fide maius) Cimmeræ in vertice montis. Cimmera promont.
Vtq́; Syracuſijs vrbs hæc fundata colonis,
Sacrilegi imperium regis fugientibus, annis
Sic quoq; pòſt longis creuit Muſionis ad amnem, Muſio fl.
Silua loco notum tribuit cui Laurea nomen, Loretũ op.
Chriſtiparæ oſtentans templum ſublime puellæ,
Diues opum variarum, & multis nobile donis,
Aduena quæ ſacro veniens in poſte reliquit.
Ricina vnius pòſt Aelia cognita noctis
Hoſpitio, ac vario ſinuoſa Potentia flexu Aelia Ricina opp.
Præterita, & poſitum prope collem Sanſeuerinum: Potentia fl.
Vrbs noua poſt Gothicum longè ædificata furorem, Sanſeuerinum opp.
Quales non paucæ ſunt in regionibus iſtis.
Deinde vetus retinens, ingreſſa Matilica, nomen: Matilica opp.
Quæq́; in Sentinæ fertur fundata ruinis
Faberiana, vrbes inter non vltima paruas, Sentina, Faberianaq́; oppida.
Apta vijs, campo fœcunda, frequensq́; domorum.
Turris in vrbe fuit media, par illius, vnde
Troiam omnem poteras, & Dorica caſtra videre:
Ante annos aliquot violentam paſſa ruinam.
Huic etiam ad liquidum ſua propria dona Chientũ, Chiẽtus fl.
Charta papyrifero certans pulcherrima Nilo.
Poſtera purpureos aperit Tithonia vultus,
Mortales miſeros reuocans ad munera vitæ,
Cùm per difficilem reptauimus Appenninum, Apenninus mons.
Linquentes tetricis ſubiectum montibus Aſim. Aſis fl.

Tibris fl. *Et leni Tibrim manantem flumine, donec*
Peruſia vrbs. *Lumine cum luna Peruſinam acceſſimus vrbem:*
Vrbem infelicem, quæ dum ſe vindicat armis,
Seruitijq́; iugum vult declinare, quod ante
Iuris & arbitrij reſtabat, perdidit omne:
Viribus ah nimium, rebusq́; animoſa ſecundis.
Hîc mihi Carcheſi peperit res mira ſtuporem.
Nam cùm viſendi ſtudio, atq; labore diurno,
Danda eſſent placidæ iam languida membra quieti,
Nocte ferè media nos exigit ædibus hoſpes,
Non aliquo noſtri vitio, culpáue: ſed vxor
Imperioſa domum, famulosq́; virumq́; premebat.
Cùm iam turrigeram mens eſſet linquere terram,
Auguſti portas retinentem Cæſaris altas,
Thraſymenus lacus. *Pieridumq́; bonam longo iam tempore alumnam:*
Tum multū incerti, lacus an Thraſymenus, & albi
Sanguinei campi. *Oßibus, ac dicti campi de Sanguine, an Vmbris*
Montibus impoſitum curſu propiore petendum
Aſsiſiū op. *Aßiſium: potior tandem ſententia ſedit,*
Templum auguſtū, ingens, atq; inclyta tecta videre
Diui, tot meruit qui paupertatis honores:
Cui ſine crine caput, nodoſaq́; cingula reſtis,
Hiſpellum opp. *Calceus ex ligno, & ſignatum vulnere corpus.*
Prona valle iacens Hiſpellum ignobile, non eſt
Paſſus adire dies, & clauſis mœnia portis.
Fulginia opp. *Fulginia in patulis poſt hoc quâ ſternitur aruis,*
Quaq́; fluit Tiniæ riuus, Tiberina fluenta
Tinia fl. *Qui ſubit exiguus, cum largo venimus imbri.*

Viſaq́;

Viſaq́ maxima vallis, oliuiferaq́ Mutuſcæ, Mutuſcæ oppidum.
Quas Treuias vulgi malè cœpit dicere ſermo.
Nec Clitumne tuum non eſt memorabile nomen, Clitumnus fluuius,
Propter aquas cuius latiſſima gramina, & eruum,
Detondent patulo candentes ore iuuenci,
Quem prope Bacchi hederas, myrtumq́, & Daphnidis vmbram
Serta tibi Muſa nectebant docte Properti,
Cynthiaq́, Aonijs decima addita diua deabus.
Huic bona verba loco dicentes, inde ſubimus Spoletum opp.
Spoletum: & faciles nacti per tempus amicos,
Magnifici primùm ſuſpeximus ardua templi,
Atq́ vbi culta fuit veteri Concordia fano,
Theodorice tibi tum ſtructa palatia: quæ poſt
Diruta, non paſſus Narſes inculta iacere.
Veſpere laticia, & dulci ſuperante Lyæo, Interamne opp.
Duximus in ſeram riſus & gaudia noctem.
Mane petita fuit, negat hoc quæ carmine dici,
Quæq́ ſita inter aquas, & roſea rura Velini,
In qua fingebat ſe Clodius vrbe fuiſſe,
Sacra inceſtarat cùm puluinaria diuæ.
Hîc quater irrigui ſtipant fœnilia campi,
Vnius agricolam ditantes meſſibus anni.
Impoſita excelſo non magna vrbs vtraq́ colli,
Narniaq́, Ocriculumq́, gradu properata citato: Narnia, Ocriculũ, oppida,
Sed trepidos curſus iter impediebat iniquum.
Namq́ in equis mora nulla fuit: neq́ Cyllarus iſſet
Sic, vel Achillis equus, vel præpete Pegaſus ala.

Via Flaminia. Flaminiæ inde viæ magnam inter rudera partem
Roma vrbs. Tranſgreſſos, perq; innumeras nos Roma ruinas
Suprema laſſos Octobris luce recepit.
Carminis hac noſtri finis fuit, atq; viarum.
Cal. Nouemb. Romæ. 1542.

ITER NEAPOLITANVM, ad Caſp. Næuium.

PArvum iter ingredior, ſed non & gloria parua
Scribentis, ſi quis deſcribat ſingula Næui,
Quæ maiora fide, atq; oculis vix credita noſtris,
Per dominam imperij paßim cognouimus vrbem:
Ac foret Auſoniæ contexenda Ilias Vrbi,
Inſignes ſi quis vellet memorare ruinas.
Nam ſiue aſpicias memorabilis Amphitheatri
Structuram, templi ſeu tecta foresq; rotundi,
Pacis & euerſæ molem, artificesq; columnas,
Seu ductas tot aquas, tot regia ſtrata viarum,
In primis thermas, luxus monumenta: tot arcus,
Pyramides, ſtatuas, obeliſcos, ſigna, coloſſos,
Ingenia artificum teſtantia, facta virorum:
Non licet iſta breui percurrere ſingula verſu.
Quòd ſi etiam luſtres ſuſpenſos aëre colles,
Sub terris aliam inuenias (mirabile) Romam.
Hæc nobis aliquot vix menſibus explorata,
Viſum eſt inde alias, aliasq; exquirere terras.
Tempus erat, varios quo fundit terra colores,
Gra-

Graminibus campus veſtitur, frondibus arbor,
Cùm nos à priſcis de nomine dicta Ferenti Ferentina porta.
Porta, ferè lentos dimiſit ab vrbe Latina:
Mox obiectum oculis opus admirabile noſtris
Ductus aquæ, fuerat cui quondam Tepula nomen, Aqua Tepula.
Vicinosq́ rigans amnis Cybeleïus agros,
Almo, intra Romæ qui iungi mœnia Tibri Almo fl.
Collis Auentini ſub plano, atq; æde Dianæ
Dicitur: at veterum pugnat ſententia diſcors.
Vidimus inde Lamum decliui in colle vetuſtum, Lamũ op.
A Mariȷ villa modò dictum (vt fama) Marinum.
Hinc Antemnatum deſerti tempore fines, Antemna opp.
Atq; infeſta fero ſilua eſt peragrata latrone.
Mox Auguſte tuis habitata parentibus arua,
Hoſpitium prima tribuérunt nocte Velitræ: Velitræ opp.
Sed tantum hoſpitium. nec enim locus ille quieti
Aptus erat, propter turbas, ſtrepitumq́, ſequentum.
Manè graues pluuia Nymphæũ liquimus amnem, Nymphæus fl.
Et Sermonetæ noua mœnia: quam prius vrbem Sermoneta oppidum.
Ereptam dominis, natæ donauit auaræ
Sextus Alexander, quam ſponſam fecerat idem,
Atq; nurum, ſacro præfectus paſtor ouili.
Per graue mõtis iter poſt prandia deinde profectis,
Viſa eſt Pontinos deſpectans Setia campos, Pontini campi.
Non intrata tamen: quia tectum proxima villæ Setia opp.
Hoſpitiumq́, dedit, Setini & munera Bacchi
Spontè propinauit. nondum lux altera cœlo
Orta erat, è duro cùm ſtrato membra leuantes,

Scabroſas cautes ſuperamus, & aſpera montis
Priuernum oppidum. *Saxa, ad Priuernum, pharetratæ laude Camillæ*
Nobile, Amazonijs quæ par virtute puellis,
Amaſenus fluuius. *In mortem patriæ pro libertate ruebat.*
Tum tranſmittentes Amaſeni fluminis vndam,
Forũ Appij, opp. *Nũc monachis habitatũ. aſpeximus inde forũ Appi,*
Deq; tribus quæ ſunt olim loca dicta tabernis,
Circæus mons. *Circæaſq; domos, altiq; cacumina montis.*
Hic vbi non hominum Titanis ſubdola formas,
Cantibus & virga mutauit, vt inquit Homerus:
Sed cœleſtem animum fraude, incautoq; veneno,
Tranſtulit ad leuium miracula turpia rerum,
Atq; voluptatum damnoſa perdidit eſca.
Id factum docuit nos præſens. altera namq;
Circe erat in noſtro comitatu, Græca puella,
Quæ poſtquam Hiſpanis Italiſq; ruentibus in ſe
Certatim, blanda porrexit pocula dextra,
Non ſecus ac capti ſenſu, ebria turba furebat:
Nec pudet oblitoſq; ſui, immemoreſq; decori,
Turpiter imperijs dominæ parêre ſuperbæ.
Hæc dum indignantes animis, tacitiq; tuemur,
Ouſens fl. *Interea anguſtas per valles turbidus Ouſens,*
Foſſa paluſtris. *Qui in mare quærit iter, tũ proxima Foſſa paluſtris*
Feroniæ lucus. *Præterita eſt, viridiq; olim Feronia luco,*
Tollenteſq; caput candentes Anxuris arces:
Tarracina oppidum. *Nunc mons & tellus, quondam maris inſula Tuſci.*
Hæ contra fluctus ingentis fragmine montis
Munitæ, tumidas contemnunt æquoris iras,

Nereaq́, vndiſono tundentem ſaxa fragore.
Hic quondam moles hominum collapſa theatri,
Viginti infando deleuit millia caſu.
Tum comites, dubia falſos regione viarum,
Cernere non potui, quàm Fundos venimus, omnes. Fundi opp.
Vrbs parua in plano, poſitu pulcherrima, campo, Fundanus lacus.
Collibus hinc, atq; inde lacu, ſimul æquore cincta.
Citria cui florent hortis, & littore myrti,
Heſperidum decus, & beneolentia culta Diones.
Hæc dedit hoſpitibusq; locum, feſſisq́; quietem.
Preſſa tamen Fundis cùm vina apponeret hoſpes
In cœna, ad ſtomachum minimè facientia noſtrum,
Cæcuba non paruo clamore popoſcimus illum.
Nam crudos propter piſces, oleumq́; comeſtum,
Nauſea propoſitas prohibebat tangere menſas.
Sed prius Alcidæ clauam, fulmenq́; Tonanti
Eripias, quàm optata feras mali ab hoſpitis ira.
Hinc via fumoſum nos Appia duxit ad Itrum,
In quo fœmineis ceciderunt turpiter armis
Galli, Arragoneo cum arſit Campania bello.
Appia ſed longis via iam corruptior annis,
Deteriorq́; imbri, nimium properantibus obſtat:
Repentes per iter non abſq; pauore malignum,
A dextra Aeneæ nutricis habentia nomen Caieta op.
Mœnia proſpicimus: monumenta antiqua, ſiniſtra.
Attigerat medium proles Hyperionis axem, Formiæ opp.
Extructam deinceps cum à forti gente Laconum
Intramus, noſtris pugnantem verſibus, atq;

Infamem Læſtrigonijs cultoribus vrbem.
Hic vbi ſæpè forum fugiens, ſtrepitusq́; clientum
Tullius, optatos quærebat ab vrbe receſſus,
Aut inter ſiluas Academi, interq́; Lycei
Hormus fl. *Verſans, aut aptans grandis Demoſthenis arma.*
Scauli vicus. *Tunc vbi equi ſaturati eſſent, Hormumq́; bibiſſent,*
Dulci cannarum ſucco viridantia prata,
Quæ cum Sicanijs certare liquoribus auſint,
Minturnæ oppidum. *Minturnasq́; vdas, teneris loca fœta ſiletis*
Tranſimus, Marij ardentis celebrata latebris.
Quas prope ductus aquæ, & moles erecta theatri,
In cuius pecora & ſcandentes ſaxa capellæ
Gramina nunc carpunt, & lenta arbuſta ruinis.
Quid vobis igitur (comitum ſic turba ferebat)
Profuit Auſonidæ regna exhaurire, potentem
Atterere Italiam, tam fluxam quærere laudem?
At non his pectus Bruti, integritasq́; Catonum,
Scipiadumq́; decus fuit immortale: ſed vna
Virtutis fama, quam nulla intercipit ætas.
Lyris fl. *Talia dicta dabant. taciturnum Lyris ad amnem*
Ventum erat: hic captus Laurentis amore Maricæ
Spumea lambit adhuc dilectæ littora nymphæ.
Néue putes veteris flammam ceſſiſſe furoris,
Nunc quoq́; ſulphurea lentus palleſcit harena.
Gaurus mons. *Hoc traiecto humilem Gauri in radice ſubimus*
Terram, conſpicui nil hortum præter habentem.
Nocte ſatis placidos carpentes pectore ſomnos,
Summo mane in equos attollimur, antè ſerena

Incipit in varios mutari luna colores,
Et volitare leui candentes aëre flammæ.
Nondum tacta fuit vicini littoris vnda,
Horriferi ſubitò funduntur ab æthere nimbi,
Cum tonitru: terrentur equi, timidiq; ſodales.
Bis quoq; tam claris micuerunt ignibus aſtra,
Vt lucem eriperent oculis, rebusq; colorem.
Vix talem ſenſit vim flammæ, fulminis alis
Adflatus, Veneris thalamo amplexuq; ſuperbus.
Poſtea harenoſum Vulturni legimus amnem, Vulturnus fluuius.
Veſtinis violenter aquis, ſimul imbribus auctum. Liternum opp.
Literni madidas veſtes ſiccamus ad ignem:
Vrbs quæ Scipiadæ, cui fecerat Africa nomen,
Præbuit exilium, & paruæ ſolatia villæ.
Hic epulis functi, ſubitò calcaria tardis
Subijciuntur equis: fatorum haud inſcia Cume, Cume op.
In terra, inq; mari Prochyta, Inarimeq; ſiniſtra Prochyta inſula.
Obſcuro cælo vix viſæ. deinde cauatum
Pauſilypi in tenebris & iniquo lumine montem Inarime inſula.
Egreſſi, albentis templa ardua Mergillinæ Pauſilypus mons.
Ad mare conſpicimus, cygno fundata ſonoro:
Cuius vox vltra Gangen audita, Tagumq;, Mergillina mons.
Dulcibus impleuit vaſtum concentibus orbem.
Nec poterant magnis alia oſſibus oſſa Maronis
Coniungi melius, quàm quæ ſunt iuncta. relicto
Hoc igitur templo, nymphæq; Patulcidis horto, Patulcis hortus.
Diuorum in templis turres, & celſa domorum Neapolis vrbs.
Parthenopes ſeſe oſtendunt: hac vrbe recepti,

Infamem Læſtrigonijs cultoribus vrbem.
Hic vbi ſæpè forum fugiens, ſtrepitusq́ clientum
Tullius, optatos quærebat ab vrbe receſſus,
Aut inter ſiluas Academi, interq́ Lycei
Hormus fl. *Verſans, aut aptans grandis Demoſthenis arma.*
Scauli vicus. *Tunc vbi equi ſaturati eſſent, Hormumq́ bibiſſent,*
Dulci cannarum ſucco viridantia prata,
Quæ cum Sicanijs certare liquoribus auſint,
Minturnæ oppidum. *Minturnasq́ vdas, teneris loca fœta ſiletis*
Tranſimus, Marij ardentis celebrata latebris.
Quas prope ductus aquæ, & moles erecta theatri,
In cuius pecora & ſcandentes ſaxa capellæ
Gramina nunc carpunt, & lenta arbuſta ruinis.
Quid vobis igitur (comitum ſic turba ferebat)
Profuit Auſonidæ regna exhaurire, potentem
Atterere Italiam, tam fluxam quærere laudem?
At non his pectus Bruti, integritasq́ Catonum,
Scipiadumq́ decus fuit immortale: ſed vna
Lyris fl. *Virtutis fama, quam nulla intercipit ætas.*
Talia dicta dabant. taciturnum Lyris ad amnem
Ventum erat: hic captus Laurentis amore Maricæ
Spumea lambit adhuc dilecta littora nymphæ.
Néue putes veteris flammam ceſſiſſe furoris,
Nunc quoq́ ſulphurea lentus palleſcit harena.
Gaurus mons. *Hoc traiecto humilem Gauri in radice ſubimus*
Terram, conſpicui nil hortum præter habentem.
Nocte ſatis placidos carpentes pectore ſomnos,
Summo mane in equos attollimur, antè ſerena

Incipit in varios mutari luna colores,
Et volitare leui candentes aëre flammæ.
Nondum tacta fuit vicini littoris vnda,
Horriferi ſubitò funduntur ab æthere nimbi,
Cum tonitru: terrentur equi, timidiq́ſ ſodales.
Bis quoq́ſ tam claris micuerunt ignibus aſtra,
Vt lucem eriperent oculis, rebusq́ſ colorem.
Vix talem ſenſit vim flammæ, fulminis alis
Adflatus, Veneris thalamo amplexuq́ſ ſuperbus.
Poſtea harenoſum Vulturni legimus amnem, Vulturnus fluuius.
Veſtinis violenter aquis, ſimul imbribus auctum. Liternum opp.
Literni madidas veſtes ſiccamus ad ignem:
Vrbs qua Scipiadæ, cui fecerat Africa nomen,
Præbuit exilium, & paruæ ſolatia villæ.
Hic epulis functi, ſubitò calcaria tardis
Subijciuntur equis: fatorum haud inſcia Cumę, Cume op.
In terra, inq́ſ mari Prochyta, Inarimeq́ſ ſiniſtra Prochyta inſula.
Obſcuro cælo vix viſæ. deinde cauatum Inarime inſula.
Pauſilypi in tenebris & iniquo lumine montem Pauſilypus mons.
Egreſſi, albentis templa ardua Mergillinæ Mergillina mons.
Ad mare conſpicimus, cygno fundata ſonoro:
Cuius vox vltra Gangen audita, Tagumq́ſ,
Dulcibus impleuit vaſtum concentibus orbem.
Nec poterant magnis alia oſſibus oſſa Maronis
Coniungi melius, quàm quæ ſunt iuncta. relicto
Hoc igitur templo, nymphæq́ſ Patulcidis horto, Patulcis hortus.
Diuorum in templis turres, & celſa domorum Neapolis vrbs.
Parthenopes ſeſe oſtendunt: hac vrbe recepti,

Quæ nunc Campanæ palmam fert vnica terræ,
Idem ſcribendi, qui factus finis eundi eſt.
11. Cal. April. Neapoli, 1543.

ITER ROMANVM SECVNdum, ad Leonardum Badehornum.

NOn iniucundus circum varia oppida vexit
Nos error, Latium & Campani littoris oram
Dum ſpectare iuuat, terræ monumenta beatæ.
Mollia Parthenopes fugientes ocia primùm,
Megaris inſula. *Oſtriferam Megarim, ſortitam nomen ab ouo,*
Legimus, vt perhibent, Luculli diuitis olim
Gaudia, & Icario villam ſolamen in æſtu.
Extat adhuc rupes intus caua, fonsq́; perenni
Dulcis aqua, ſtatio barbatis commoda mulis,
Quos caris poſuit Romana potentia menſis.
Euplæa inſ. *Euplææ hinc antrum multos ſeruantis echinos*
Importune tuas fugimus pirata latebras.
Neſis inſ. *Poſt hanc aſparagis plenam Neſida videmus:*
Pars hæc Pauſilypi quondam, maris inſula nunc eſt.
Multus ibi ſeruat furtiua cuniculus antra:
Antra Typhoneos quondam ſpirantia fumos,
Et circà Eumenidum nebuloſo triſtia luco.
Mox ſocij Aeneæ dictum de nomine montem,
Miſenus mons. *Ventoſa Triton quà perſonat æquora concha,*
Miſenum afferimur: ſtatio propè nauibus olim

Ro-

Romanis fuerat; dum res Auguſtus haberet.
Non erat hunc ſuperaſſe, etiam non lumina circum
Quaq́; tuliſſe ſatis: iuuat inſpectare meatus,
Et vacuas ab aquis penitùs circumire latebras.
Inde æquor ſtagnans, ampli & veſtigia portus,
Pennataq́; caput tranſuecti: naue relicta, Pennata Inſula.
In lato erramus luſtrantes littore cuncta.
Quid memorem miræ piſcinæ nomen habentes,
Totq́; pilis fultas intus, ſaxisq́; ruinas?
Quídue tuo ductos ſub terra à flumine riuos
Sarne: Neronis opus, maculati ſanguine matris?
Deinde decem decies cameras tellure repoſtas,
Ac ſuprà impoſitas varia ratione columnas?
Deniq; quid templi molem, ſpeciémue rotundi,
Quo Neptune tibi votas ſuſpendere veſtes
Mos fuit, aut pulchrum Phœbo mactare iuuencum?
De ſocio nomen quæ nacta Ithacenſis Vlyſsis,
Proxima Baiarum, nunc alto condita monte Baiæ opp.
Arx fuit: antiqui luxus monumenta referre
Velle, ſinu eſt illo conchas numerare marinas,
Ruderáue in multis vix perreptanda diebus.
Sed licet ipſa loci iacet interijtq́; voluptas,
Non tamen vtilitas ceſsit quoq; : Cynthie parce,
Nam tua Baiani ſuperant inuenta receſſus,
Eſtq́; vapor radice, atq; vnda potentior herbis,
Cumq́; Salute illos colit ipſa Salatia fontes.
Verùm deceptus ne quiſquam errore locorum,
Grata ſalubris aquæ ſentiret munera tardus,

Morborum variæ facies, & nomina mille,
Aſtabant foribus pictura aut marmore claræ,
Quæ nunc inuidia penitùs ſublata minorum.
Multa alia in toto viſu digniſſima tractu:
In primis celſo ſita Sudatoria monte.
In tria diuiſus ſpecus eſt ceu brachia: quorum
Sulphureos extrema tenent fumantia fontes,
Solis inacceſſos radijs ſub rupe cauata.
Ingreſſu via longa patet, cinis impedit albus,
Atq; calens mediæ gradientes agmine foſſæ.
Ingrediendo caue tollas caput: arduus vndam
Fumus agit, totoq; fluunt de corpore riui,
Viſceribusq; trahens animam vapor æſtuat intus.
Sin ſubmiſſus eas, & cautè lumina ſerues,
(Nam ſine luminibus nulli eſt intrare poteſtas)
Victor eris. nimium ſed non tentare ſiniſtram
Dira tibi mens ſit: necat intus peſtifer aër,
Bauli op. *Profuit & nulli tacitas quæſiſſe latebras.*
Herculea via. *Ne verò Alcidæ mirere bouilia Baulos*
Lucrinus lacus. *Interijſſe, viæ quoq; ſunt ſublata ſuperbæ*
Indicia, atq; lacus perierunt, fractaq; Lucrini
Clauſtra, tuiq; operis Cæſar miracula Iuli.
Tritolinus mons. *Nondum ſudor erat membris deterſus & ori,*
Quem toto excierat Tritolini montis hiatus
Corpore: nauta ſtatim, nō hinc procul antra Sibyllæ
Auerni lucus. *Vatis, & vmbroſus graueolentis lucus Auerni.*
Cimmerij populi. *Cimmerij prope quem Stygia caligine preſſi,*
Obſcuris quondam traxere mapalibus æuum,

Quos

Quos nunquam radijs ſol vidit lucidus aureis,
Siue ille aſtriferum ſe matutinus ad axem,
Seu rurſum in terras ſe veſpertinus agebat:
Sed nox incubuit miſeris mortalibus atra.
Hic dum fixi, oculos ferimus per ſingula circum:
Quid, Vuerterus ait, fumantes littore harenæ,
Quidue noui inſolitus monſtri fert æquoris æſtus? Mare bulliens.
Cui nauta: Informem quem cernitis vndiq; montē Mons nouus.
Fumare, & clauſo auditis gemere intus ab igne,
Campus agerq; fuit Baccho, Cerere atq; Minerua Puteolanus,
Fertilis, oppidulo, thermis, clarusq; theatro:
Quintus ab hoc agitur luſtris labentibus annus,
Quo madidi ſpirare ſolent vehementius auſtri
Tempore, turbaturq; hœdis pluuialibus aër,
Ecce ſub occaſum metuenda incendia ſolis
Emicuere, volant Aetnæo murmure flammæ,
Saxaq; cum tonitru magnum per inane rotantur.
Terra tremit; reboant crebris mugitibus auræ,
Et non vicini tenuere cacumina montes.
Inſequitur cinerum glomeratus ab æthere nimbus,
Inuoluitq; globos flammarū, & in æquora mergit.
Aenariam, Prochytenq; illis ego fortè diebus
Liqueram, et Aeoliam Liparen iamiamq; tenebam,
Vix ſcapha me tanto ſubduxit inutilis imbri.
Nunc leuibus tophis oppleri & pumice littus,
Atq; vado feruêre fretum, riuosq; calentes
Monte videtis adhuc emergere, & ardua ſaxa
Amphitheatralem ieciſſe ad ſidera molem.

Quod

Quod campus, mare quodq́; fuit (mirabile) mõs eſt.
Vos nimis incœpto non indulgete labori.
Nam quibus iſta venit primum explorare cupido,
Triginta periêre viri, quos tetra vorago
Sorbuit, & Stygias per Auernum miſit ad vmbras.
Dixerat, & montem dux antè præibat in ipſum.
Murmur agunt intùs venti, ſpiracula fumum
Emittunt, ſcrobibusq́; latet Vulcanus opertis,
Exercetq́; nouo fabrilia corpora in antro.
Tandem ad Craterem feſſi deuenimus, vnde
Dux Erebi immundum vomuit Saturnius ignem.
Quis neget hic ſæuos bellum geſſiſſe Gigantes,
Phlegræi campi. *Amphitryoniadæ fractos virtute, manuq́;,*
Campis Phlegra tuis? tentant Titania monſtra
Rumpere adhuc duras ferri luctando catenas,
Forum Vulcaniū. *Et Iouis imperijs iniectos tollere montes.*
Suſpirans propriam Tellus timet ipſa ruinam,
Lemniacumq́; forum, & luctantes fortiter euros
In ſua teſtatur graſſari viſcera mater,
Ac ius conceſſi rumpi inuiolabile regni.
Vnde nouos etiam contra Iouis arma tumultus
Crebra mouet, parteſq́; ſuas irata tuetur.
Tripergula opp. *Conſcenſo rurſus via carpitur vda phaſelo,*
Iamq́; tuis flammis querimur Tripergula ciues,
Cum natis, cariſq́; vxoribus interceptos.
Et docti villam quondam Ciceronis, & hortos,
Palladioq́; ædes Academi nomine dictas,
Sæcula Cæſareo claras poſt longa ſepulchro:

Præ-

Præcipuè tot aquæ fontes perijſſe ſalubres,
Quas inter tenuit primas aqua Tullia, quæq;
Vel ſteriles vtero faciebat creſcere matres,
Quando clauſa diu genitalis mollijt humor
Corpora, & ad Veneris redierunt munera lætæ.
Inde petebamus veterem Dicæarchidos vrbem,
Quæ calidis ab aquis puteiſq; eſt nomen adepta. Puteoli op.
Hanc Samij poſuere viri, Deloq; minorem
Dixerunt, varijs populis & merce frequentem.
Tempore quã fore deſertam, populo inq; frequentẽ,
Eubæa haud falſo prædixit carmine vates.
Vidimus innumeras templis domibuſq; ruinas,
Quas tremor, & validi dederant per mœnia venti:
Hic Auguſte tibi ſurgentia marmore templa
Concuſſa, & magni moles operoſa theatri.
Sulphureis bibimus tum Maſſica vina lagenis, Maſsici colles.
Maſſica vicinis naſcentia collibus, & nunc
Vberiora, noui poſt vaſta incendia montis.
Quis verò æquoreis minitantem fluctibus, altum
Caligulæ pontem non audijt? ille per æquor
Iunxit Dulichijs Dicæarchũm mœnia Baijs,
Atq; pilas bis ſex nunc erigit æquore magnas.
Hinc via nos, albæ telluris nomine colles Leucogei colles.
Adduxit, loca flammiuomis exeſa caminis.
Valle ſub hac ſulphur fons atq; bitumen anhelat, Phlegethon fons ardens.
Et Phlegethonteis exultat feruidus vndis.
Haud ſecus ac Silæ, aut ingentis ligna Taburni
Subiecta augerent viuacis ſemina flammæ.

Non.

Oraxi fontes.
Non procul inde etiam fontes memorantur Oraxi,
Affectis medicina oculis, medicina cerebro.
Palus Agnana.
Mox Agnana palus, orbataq; piſcibus vnda,
Turpis hirundineiſq; glomis, ranaq; loquace,
Atq; obſeſſa malis ripa omnis aditur ab hydris.
Charoneæ ſcrobes.
Inde ſcrobes, Stygij funeſtum nomen habentes
Vectoris, viſæ: Cocyti inamabilis antrum.
Panditur horrendus celſi in pede montis hiatus,
Pallentiq; vmbra, ruptiſq; Acheronte cauernis
Peſtiferum ſpirans: quem non intrare volantes,
Non audent alijs defenſa animalia luſtris.
Sin fortè intrarunt, aut vi coniecta fuerunt,
Exanimes triſti ſubitò retrahuntur ab antro,
Immerſas quoq; fert vicinæ fama paludi,
Et motum & vitam tacita reparare ſub vnda.
His ſimulatq; aliquot viſis per littora thermis,
Sole parante ſuos ponto iam mergere vultus,
Parthenopen placido Zephyro, & rumore ſecundo
Delati, optata recreamur corpora cœna,
Exhauſtoſq; illa narramus luce labores.
Nec minus interea tota luſtramus in vrbe,
Quicquid erat dignum ſpectatu: maxima templa,
Inter quæ ſacra eſt Ledæis fratribus ædes,
Heboniq; deo, cui propria vota tulerunt.
Inſpicimus veterum ſedem & penetralia regum,
Quatuor excelſis munitam turribus arcem,
Aerataſq; intus inſcriptas carmine valuas,
Hoſtem vt Troianis Ferdnandus fuderit aruis.

Nec

Necnon inſignem portum, tot nauibus aptum,
In quo Cæſareæ pandebant vela triremes,
Inferret duro cùm bellum triſte Sicambro.
Mox imus circum aucta vrbis pomœria latè:
Quis memorare ducum tot celſa palatia poſſit,
Nobiliumq́, domos? quíſue intra mœnia & extra
Magnificè ſtructos immenſis ſumptibus hortos?
Iamq́, dies aliquot circum loca cuncta profectis,
Rurſum exire placet Vuertero: nec mora, frenis
Impediuntur equi. Sebethi flumina primùm, Sebethus fluuius.
Atq́, Aragonei regis prædiuitis hortos
Deliolos; Gallo vaſtatos milite & armis, Delioli horti.
Attigimus, vacuas via quà ducebat Acerras.
Leucopetræ antiquis certantia gaudia villis
Poſthac intramus, mirati mœnia, turrim
Nymphæum, & conchis ſtructũ fulgentibus antrũ.
Naiadum hîc luſus, & amantis fiſtula Panis,
Nereideſq́, omnes, atq́, Oceanitides omnes:
Tuq́, Arethuſa iacens, luctantes nuda papillas,
Nuda genu, gelido poſita es cuſtodia fonti.
O tali liceat vitam mihi degere in antro,
A vulgo, & vana procul ambitione remotum,
Aonidumq́, choros ſectari, & diſcere iura
Viuendi, ac varias rerum cognoſcere cauſas.
Tu verò Badehorne forum, tu limina regum
Laute colas, ad res nobis magis aptus agendas.
Hinc iuga prærupti Veſeui ſcandimus: antè Veſeuus mons.
Quàm tamẽ ad ſummi peruentũ eſt culmina mõtis,

Ter ſuperanda fuit fœcundis herbida campis
Planicies,quæ vitiferi lætiſſima Bacchi
Munere,Campanis paſſim celebratur in agris.
Ipſe biceps geminum iacit ad ſupera ardua cornu,
Quaq́ patet bifido ſpacioſus vertice Crater,
Emittit rarum per cæca foramina fumum.
Conuulſi circà ſcopuli,depaſtaq́ flammis,
Atq́ extruſa iacent mirando pondere ſaxa.
Thracibus eueniant tam vaſta incendia crudis,
Diſijciantq́ tuam ſic Barbare conifer aulam,
Pompeij opp. *Littore vt obruerat Pompeios ignis in illo,*
Herculanium opp. *Deq́ tuo Alcide vocitatam nomine terram.*
Ne tamen hinc partes ferremus lumina in omnes,
Cernentes patrios Samnis tibi & Appule fines,
Quas fert aërij montis ſublime cacumen,
Impediunt fuſæ circum nos vndiq́ nubes.
Longius ire vetant venientis tempora noctis,
Neapolis vrbs. *Quadrupedesq́ vijs quærebant pabula feſſi.*
Attella op. *Paucos indè dies Sirenis in vrbe morati,*
Venimus Attellam:cuius comœdia quondam
Pectora laſciuo mollibat ruſtica luſu,
Atq́ tuos Megaris ſuperabat Achaica riſus.
Ergo theatra iuuat regali educere ſumptu
Vrbibus,vt morum corruptio publica laudem,
Præmiaq́ à cano mereatur larga Senatu?
Theatrũ Capuanũ. *Non ego nũc Capuæ alta tuũ memorabo,quod vrbe*
Cernitur euerſa,conſtructum marmore,& amplis
Porticibus,ferroq́ intus,plumboq́ coactum.
Quid

Quid Troiane Capy nunc vrbs tua? quæ caput olim
Cum Romã æquauit, quæ cum Carthaginis arce,
Cuius nulla ſatis decantet Pieris agrum,
Deliciáſue ſoli, & cultiſſima frugibus arua. Capua vetus.
En iacet immenſis vrbs obruta tanta ruinis,
Vandalico (exemplum fortunæ) euerſa furore.
Effodiuntur adhuc numiſmata, marmora, gemmæ,
Sub terra agricolis, & luxus ſigna prioris.
Inde Laborinos campos, Tifataq́; montes Laborini campi.
Tranſgreſſi, Capuæ alterius noua tecta ſubimus,
Ad rapidum flaui Vulturni condita flumen, Tifata mõtes.
Pulchra quidem, ſed vix priſcorum æquãda ruinis: Capua noua.
Antonine tuo ſignatum nomine pontem,
Aſpicimusq́; viæ, quam gens dedit Appia, partem. Vulturnus fluuius.
Sunt Aegyptiacæ, murum intra, templa iuuencæ,
Quæ nunc relligio meliores vertit in vſus.
Quis tamen illius ſit conditor vrbis, & auctor,
Incertum eſt: ciues non mutauere ſuperba
Pectora, luxuriamq́; nepos imitatur auorum.
Poſt hanc intrata Auruncis habitata vetuſtis
Pometia, hæc alio pòſt nomine dicta Sueſſa: Pometia, Sueſſa.
Quæ noſtro eximio celebrata eſt tempore ciue,
Cui gens Nipha fuit, multas mens culta per artes.
Appoſuit facilis nobis hîc vina Falerna
Hoſpes & Aonij monſtrauit rura Lyæi. Falernus ager.
Hinc Aruncanum pontem, mox inde Calenos
Colles, teq́; frequens niueis Sinueſſa colubris. Sinueſſa opp.
Quæ nunc eſt non culta magis, quàm littus & aër.

Lyris fl. *Altera lux placidum Lyris deduxit ad amnem,*
Scauli vicus. *Et celebres dulci cannarum munere Scaulos,*
Formiæ opp. *Antiphatæq́; domum, Læſtrygoniosq́; penates.*
Donec ad excelſas Caietæ venimus arces,
Caieta op. *Ingenio, poſituq́; loci, domibusq́; decoras,*
Magnificis, ſtructisq́; tenace bitumine muris.
Hæc Veneris vultus profert, & corpora tellus,
Atq; puellari gaudens excellit honore.
Quis ſciſſum promontorium non ſignet, hiantemq́;
Aequoreum ſcopulum, formoſæ Tethyos antrum,
Atq; indignantes montem perrumpere fluctus?
Burbonius, Latiæ dux non incognitus vrbi,
Marmoreum excelſa tumulum nunc poſſidet arce.
Poſtmodo Tyrrhenum metimur naue profundum.
Subtrahitur ſubitò cœlum, & caligine ſolem
Obſcurante, dies mutata in tempora noctis:
Donec nos dubiosq́; viæ, oblitosq́; locorum,
Oſtia opp. *Mitior antiqui lux vrbem miſit ad Anci,*
Quà Tiberis voluens flauam ſub gurgite harenam,
Portus *In mare cum multo ſonitu prorumpit Hetruſcum.*
Oſtienſis. *Vidimus hic clari portus quæcunq; ſuperſunt*
Indicia, ingentem murum, ingentesq́; columnas:
Quem non Sarracena manus, non Vandalus atrox,
Gotthorumq́; furor, Latia ſed præſul in vrbe
Diruit, & latas æquauit vomere foſſas.
Tuſculũ *Fortè animi inde tulit nos ardor, adire vetuſti*
oppidum. *Mœnia Telegoni, fama celebrata Catonum.*
Quæ prope villa fuit Ciceronis tertia, claris

De-

Decantata libris, qui nunc verſantur in ore
Pectoribusq́ hominum, æterni monumenta laboris:
Nunc iacet hac ipſa cum villa Tuſcula tellus,
Albano fundata iugo, deleta furore Albanus mons.
Romulidûm: quoniam fauiſſet Cæſaris armis
Teutonici, damnumq́ dediſſet ciuibus ingens.
Haud procul Argolico peragentes omnia ritu
Sacra, cucullati celebrant templa ardua patres.
Hinc ad Auentini montem, tua Cæcule regna, Auētinus mons.
Nomen ab ilicibusq́ tenens Preneſte venimus. Preneſte opp.
Quo primùm diuæ, quæ nullo tempore, nullo
Certa loco perſtat, miramur nobile templum,
Pluribus in templo lithoſtrotaq́ ficta figuris,
Deinde tot effoſſos tecta tellure meatus,
Qui finguntur adhuc Mariana cæde rubere. Verrheſtis fluuius.
Proxima Verrheſti fluuio, ſiluaq́ relicta,
Nos via Tiburti feſtinos ſiſtit in vrbe. Tibur op.
Illa ſupercilio cliuoſi montis agreſtes
Fundit opes, quibus Alcinoi quoq́ ſplendidus hortus
Heſperidumq́ fuit: non hic tam grandia ſaxa,
Pyramidum in morem quæ rupibus excinduntur,
Aſcendiſſe iuuat, quàm magno monte volutas
Contemplari Anienis aquas: vt præpete lapſu Anio fl.
Fument, ac multa ſudent aſpergine cautes.
Templum fatidicæ conſcendimus inde Sibyllæ.
In deſcenſu aliud Iunoni (vt fama) ſacratum
Argiuæ, forma quoq́ ſplendidiore, ſubimus.
Pons ſuperabatur Lucanus, Plautius olim Lucanus pons.

Quem fecit, domitis Baſtarnis, atq; Scytharum
Gentibus, Illyricoq; ferens ex hoſte triumphum.
Aelia villa dehinc multis oſtenſa ruinis,
Vrbis opus, varia ſtructura & fonte ſuperba
Albulæ aquæ. *Irriguo, priſciſq; tenens par nomen Athenis.*
Vnda ſalutares poſt offert Albula fontes,
Læſaq; ab infeſto medicatur corpora ferro.
Tandem pons alius, dictus de matre Seueri
Mammæus pons. *Mammæus, feſſos Romanam mittit in vrbem.*
Roma. *Quæq; viæ ambiguæ finem dedit, atq; quietem,*
Prolixæ impoſuit quoq; iuſta ſilentia cartæ.
6. Cal. April. Romæ, 1543.

ITER PATAVINVM, AD Valerium Cordum.

CVm rurſus Pataui viſendi cura ſubiret,
Corde, Machaonias iuuenis memorate per artes,
In Veientanum Roma peruenimus agrum.
Baccanæ. *Iamq; egreſſa fuit Baccanis proxima ſilua*
Lucus Capenus. *Arſia, quæ lucis olim vicina Capenis,*
Cremera fluuius. *Cum Cremerã exiguũ pperando reliquimus: amnis*
Hic erat, in tenuem eſt ſiccatus tempore riuum,
Sicut & Hectoreus Troianam Xanthus ad vrbem.
Hunc prope de Fabia perierunt gente trecenti,
Qui ſocijs auſi defendere viribus Vrbem,
Monte roſſum. *Pro patria atq; ſuis ceciderunt fortiter omnes.*
Tum ſaxis dictum de rubris, parte diei

Iam media, atq; aliud cognomine Roncilionum, Roncilionum opp.
Vidimus oppidulum, prope quod ſunt mœnia Sutri Sutrium opp.
Antiqui, Latio quæ quondam cauſa triumpho.
Mox Cimini cũ monte lacum, quem dextera magni Ciminus lacus.
Herculis, abſtruſo ſe tollere fecit ab antro,
Fixa ſolo vellens nodoſæ pondera clauæ.
Non dicam calidos fontes, & olentia ſulfur
Balnea: Baianis certat nam Tuſcia thermis.
Vlterius lacus eſt, prope quem Romanus Hetruſcas Lacus Vadimonis.
Fregit opes, armis belli melioribus vſus.
Qui latera exeſus præcelſi grandia montis
Stagnat, & inſtabili cui fluctuat inſula motu. Inſula natans.
Heſperijs Phœbo radios condente ſub vndis,
Præcipiti ingredimur poſitum ſub mõte Viterbum, Viterbum opp.
Germanum quod habet nõ prima ab origine nomẽ:
Nam quondam hoc circa tenuit Vetulonia muros, Vetulonia opp.
Mæonijs habitata viris, Lydoq́; colono.
Hîc feſsis molli cùm iam recreanda quiete
Membra eſſent, epulas in noctem prorogat hoſpes:
Nec ſolùm dulci fraudauit corpora ſomno,
Verùm manè locabat equos, vix terga ferentes
Arida & hærentem detrita cum cute pellem.
Non benè præteritis per prata calentibus vndis,
Ad Iunonicolas habitantes colle, ſuoq́;
Portantes ritu gentilia lina, Faliſcos Faliſcum opp.
Venimus, & Baccho felicia rura ſecantes.
Inde lacum, cuius Vulſinia littore quondam, Vulſinenſis lacus.
Bis ſex Tyrrhenas inter caput extulit vrbes.

Piſciferum,atq; oleis circundata pinguibus arua,
Aqua pendens op. — Et pendentis aqua ſeruantem nomina terram,
Vrcius fl. — Tranſimus fluuiosq; duos: quorum Vrſius ipſis
Prila fl. — Eſt tranſmiſſus equis,ſed pontes Prila per altos.
Vilia deinde loca,& cauponum luſtra,tabernas
Tam longè tota fugientes luce diei,
Scala villa. — Sub noctem villæ cuiuſdam tecta ſubimus.
Ecce autem præter ſolitum lautiſſima morem
Cœna datur,dantur certantia vina Falerno,
Non vno deprompta cado,neq; montibus iiſdem
Lecta,ſed ex variis quæ hinc inde releuerat hoſpes
Cellis atq; locis: tum potu epuliſq; refecti
Sternimur in lectis:& quamuis plurimus illam
Per noctem Boreas ſpirabat,non tamen aufert
Mollem importunus, licet eſſet parua, quietem.
Nam prius à cano quàm ſurgeret orta marito
Memnonis,& croceos proferret lutea vultus,
Oſenna mons. — Nos in equis montem cõſcendebamus Oſennam.
Pòſt autem pedites tria millia repſimus agri,
Clamoſus nobis quia lentè equitantibus hoſpes
Pegaſeos volucres irata voce negabat.
Boneconuentũ op. — Tunc Boneconuentum pedites intrauimus:ingens
Tellus crimen habet,Germani morte notata
Cæſaris Henrici:quem quando vincere ferro
Impia non valuit,violare eſt auſa veneno;
Nec ſcelus hoc potuit monachi niſi fraude parare.
Arbia fl. — Mox in equis rurſus, poſtquam Arbia frigida curſu
Senæ vrbs. — Præterita eſt,altam Senæ ſuperauimus vrbem,

De-

Delicias Italûm: cui flauis Blandus arenis Blandus fl.
Defluit, atq; rigat ſuppoſta roſaria colli.
Cui calidæ manant venæ tellure ſub ima,
Non Aponi, Euganea qui feruet valle, minores
Vſibus: in primis cerebro, neruiſq; ſalubres.
Hic vt corda virûm non ſunt inimica Camœnis,
Externoſq; omnes digno amplexantur honore:
Sic quoq; non duris tribuit natura puellis
Ambroſias genas, & eburnea colla, comaſq;
Vel quales habuit Daphne, vel candida Iole,
Quamq; Deûm tauri decepit imagine rector.
Vidimus hic ſedem Muſarum, & docta virorum
Nomina, qui cultas paſſim celebrantur ob artes.
Vidimus & Pario ſurgentia marmore templa,
Et certans operi, vel quo Preneſte ſuperbit
Artepauimentum; & longo ordine Romulidarum
Pontificum facies, Chriſtoq; dicata & egenis
Tecta, quibus tota nil magnificentius vrbe.
Hinc Stagiam, pontemq; Peſa, dictumq; ab eodem Stagia fl.
Oppidulum & Tuſci ſcriptoris nomine clarum Peſa fl.
Certaldum, atq; Arni conſortem fluminis Elſam Certaldum opp.
Linquentes, Elſam quæ obducit cortice ſaxi Arnus fl.
Quicquid apud fontem in liquidas proieceris vndas Elſa fl.
Hinc ſine labe fluit, peregrinæq; inſcia lymphæ
Excipitur læti cupidis amplexibus Arni.
Per noctem villæ fumoſæ non ſatis apto
Hoſpitio fruimur: tenebras noctemq; fugarat
Lucifer, ad gelidæ pontem peruenimus Eræ: Era fl.

Piſæ vrbs. *Ter madidi pluuia, ter ab ipſo ſole viciſſim*
Siccati, Alpheæ claram cognomine Piſæ,
Tantalidæ Pelopis deſertam pergimus vrbem,
Quondam diuitijs & nobilitate ſuperbam.
Sed dum inſana ſuam petit vltra plurima ſortem.
Amiſit propria, & dominis nunc paret iniquis,
Vti libertate & rebus neſcia magnis.
Non tamen Aonides ceſſerunt inde puellæ,
Atq; metus ferri contra Martisq; furorem
Integra ſceptra ſui tenuit Tritonia regni.
Altera templa ibi ſunt ingentibus alta columnis,
Hetruſcas inter gentes notiſsima fama.
Turris item cuiuis operi æquiparanda vetuſto,
Aëria, inq; vnum latus inclinata, minansq;,
Si procul aſpicias, alia plus parte ruinam.
Nec non quo placidam carpunt in morte quietem
Corpora, ſpe vitæ melioris, marmore ſtratus
Eſt locus, & multa cum relligione verendus.
Prætereo inſigni celebrandum fonte ſacellum,
Cuius lympha, dei verbo accedente, repurgat
Contractam prima maiorum ab origine labem.
Flumine mox Tuſco ferimur, rumore ſecundo,
Arni oſtiũ. *Donec harenoſi rapidum ſulcauimus Arni*
Oſtium, & æquoreis luctantes fluctibus vndas.
Deinde mari turres fundatas molibus altis
Proſpicimus: quarum tres ſulphuris igne, globisq;
Labro portus. *Diſiecta, alitibus dant aſpera tecta marinis.*
Occiduo tandem Labronem ſole ſubimus:

Quem

Quem portum fama maiorem accepimus, ac res
Ipſa fuit: nobis tum propugnacula viſa
Hiſpanis circa muros ducentibus, atq;
Turris iter monſtrans nocturnaq; lumina nautis.
Hinc procul oſtenſa eſt Chalybum generoſa metallis
Ilua, tenensq; feris à capris inſula nomen: Ilua, Capraria, Oglaſa, inſulæ.
Oglaſa præterea, conſuetaq; viuere rapto
Corſica, & à clypeo quæ toruæ dicta Mineruæ eſt. Corſica,
Manè rubente polo, & turbantibus æquora ventis, Gorgónis.
Per loca plana, viam Piſas tellure remenſi,
Atq; dies aliquot nolentes penè morati,
Auſeri, & accliuis ſuperato vertice montis, Auſeris fl.
Legibus antiquis florentem & nomine Lucam Luca vrbs.
Poſtea peruentum eſt. hanc perluſtrauimus vrbem,
Templis magnificam, populo domibusq; frequentē,
Exiguamq; loci ſpacio, ſed diuite cenſu.
Vndiq; fœcundi circundant mœnia colles,
Atq; ſilex latas ornat quadrata plateas.
Comiter excepti, non mente auellimur æqua.
Peſſia tam vitreis delabens molliter vndis, Peſsia fl.
Inde palus Bentina, lacus nunc nomen adepta, Bentinus lacus.
Viſa manū ad dextram: ſupremum Cynthius axem
Tangebat, cùm nos in plana valle tuemur Piſtorium opp.
Piſtorium: dulci contraria monſtra quieti
Iſta tulit tellus, & maxima damna potenti
Intulit Italiæ. nam barbara nomina primùm
Hoc audita loco, quis arſit noxius ignis
Irarum, nondum poſt tot delebilis iſtis

Secula temporibus. ſed quæ tam dira cupido
Vindictæ? quæ tanta animis abiectio? quæ vos
Heſperiæ proceres agitat crudelis Erynnis?
Sat letho ſunt miſſæ animæ: deponite agreſtem
Morem, nec vitam duri reuocate ferinam.
Trux decet ira feras: mens præſtantiſſima quæq;
Ad ſcelus & cædem ac vindictam lenta videtur.
Mœnia vix vrbis nobis egreſſa fuere,
Vmbro fl. Stella fl. Cũ ſubitò Vmbronẽ & Stellã, gratiſſima Nymphis
Arnus fl. Flumina, & ad ſocium properãtes curſibus Arnum,
Vallis Florentina. Liquimus: hic vallis longiſſima, qua nihil vſquam
Vberius campis, cui circumiecta ab vtraq;
Parte tot oppida ſunt, tot villæ, tot loca Faunis
Monticolis, & Oreadibus, Genioq; dicata,
Vt citius numeres arentis corpora puluis
Exigua, & ſparſas bibulum per littus harenas,
Viſentius fluuius. Nomina quàm iſtorum percurras cuncta locorum.
Diuidit hanc ipſam riguo Viſentius amne,
Florentia vrbs. Quo traiecto altas monſtrat Florentia turres,
Hetruſcis caput in populis, pulcherrima rerum.
Hic decora illius regionis, tertia templa
Marmorea, & nitidum ſacrato fonte ſacellum eſt,
Cuius portæ auro fulgent, atq; ære coruſcant,
Antiquis plena hiſtorijs: non Iuppiter auro
In gremium Danaes vt ninxerit, vtq; labellis
Tyndaridis mendax immerſerit oſcula cygnus:
Sed tener vt natus ſit paupere virgine Chriſtus,
Et quæ diuino cecinerunt pectore vates

De

De puero, veri perſonam hominisq́; Deiq́;
Qui tulit, & lapſam reparauit morte ſalutem.
Proxima cui ſurgens de marmore turris ad aſtra,
Nobile opus, cui vix noua magnificentia quidquam
Par habet, & priſcis celebrari digna poëtis.
Hæc vt magna, parum laudis tamen ipſa merentur:
Sed tot doctorum monumenta vetuſta virorum,
Græcorum in primis, quorum permulta latêre,
Nondum excuſa tibi inuentis Germania formis,
Veridico nobis retulit Victorius ore.
Scilicet hæc vni Mediceæ gratia genti
Debetur, per quam ex Aſia Europæq́; ruinis
Seruati tot ſunt heroës, & addita diuis
Nomina, qui totam præceptis poſteritatem
Formarent, animosq́; rudes poſt fata docerent.
Quos ne Coſme premas, per te immortalia facta,
Per patriumq́; caput, per publica vota precamur.
Nos verò ſtudijs & Muſis dedita turba,
Aeternis inſcribemus tua nomina cartis.
Cætera quid referam, lautam viſenda per vrbem?
Ordine nam ſtructos vicos, camposq́; patentes,
Et pontes Arni deſcribere, Cæſaris arcem,
Strozarum Medicûmq́; domos, regalia tecta,
Patriciam ſedem: tum nil quibus extat Hetruſcis
Clarius in populis, ædes vbi plurima turba
Viuit egenorum, & ſine ſumptu paſcitur vllo,
Ingenij maioris opus. Munione relictos Munio fl.
Qui Florentina portas breuis alluit vrbis,

Haud

Feſulæ op. *Haud procul aſpicitur ſeclis celebrata vetuſtis*
Vrbs, à cœlifero quæ condita fertur Atlante.
Hæc auium expoſuit linguas, & fulguris ignes:
Nunc eius curuo ſulcatur collis aratro,
Diuitibus plumbi qui venis intus abundat,
Inq́ breui ſpacio quæ ſunt effoſſa, reponit
Vallis Mugellana. *Tempus, inexhauſti ſeruans alimenta metalli.*
Vallis amœna, ferax poſt Mugellana recepit,
Seba fl. *Præteritusq́ fuit Seba pellucidus amnus.*
Scarparia opp. *Hinc parua intrata eſt fabris vrbs plena moleſtis,*
Apennini montes. *Paſſa malum, & motu quaſſata prioribus annis*
Terræ terribili: ſed dum poſt prandia aditur
Iudex, ac lites intentat perfidus hoſpes,
Nubiferi interea cæca caligine montes
Cōduntur, labor auctus: iter nam præter iniquum,
Ac præceps, in nos imbres cœlumq́ ruebat,
Fulguraq́, & rapidi miſcentes frigora venti.
Vatrenus flu. *Et qui montanis Vatrenus creuerat vndis,*
Mille locis ſuperandus erat: nam flexibus errat
Per vallem varijs, cum veſpere terra ſubitur,
Cui dedit exiguum mater Florentia nomen,
Fidētia op. *Veraq́, ſi memorant, olim Fidentia dicta eſt.*
Hic aptum hoſpitium qui quærit, fallitur, inter
Apenninicolas, ſimiles qui montibus illis
Quos habitant, ſolis primo cum lumine, montem
Mons ardens. *Scandimus, & nebula ſubitò prohibente, nec illum*
Qui luce emittit fumum, nocte emicat igne,
Conſpicimus, duras cautes, ſiluamq́ malignam
Egreſ-

Egreſſis,poſita recreantur corpora menſa. Baianorũ oppidum.
Iamq́; Bianoreo retinens cognomen ab Ocno
Oppidulum apparet: qui Tuſci filius amnis,
Cognato poſitos defendit littore muros,
Aeneæ veniens comes ad Laurentia bella.
Hinc ad arundiferæ peruentum eſt plana Sauennæ, Sauenna fl.
Et per Felſineam placidus qui labitur vrbem, Bononia vrbs.
Feſſos lauit equos illimi flumine Rhenus. Rhenus fl.
Contactum vix limen erat,portæq; potentis
Terræ, à iucundis ſubitò reuerenter amicis
Excipimur,ſtudioq́; omni curaq́; iuuamur.
Viſæ nobiliumq́; domus,& templa deorum
Digna loco,& multis vix demonſtrata diebus.
Sed iam penè tenent iſtarum tædia rerum,
Nec iam tecta animos capiunt, quàm moribus atq;
Iuſticia,& rectis fundatæ legibus vrbes.
Quas inter meritam tenet alta Bononia palmam,
Sceptra Theodoſius ſua cui ſubmiſit,& eſſe
Virtutis iuſſit doctrinarumq́; magiſtram,
Magnanimus verè & ſapienti pectore princeps.
Hic eſt Germanos inter mos optimus,illos
Quis Heliconiades amor & ſolatia Phœbus,
Vt ſua dent vni qui præſit nomina,ſeq;
Auxilia obſtringant ad mutua,opemq́; ferendam.
Qua moti quondam pietate, hodieq; mouentur
Ipſi Pontifices, auguſtaq; nomina Regum,
Quiq́; probauerunt tam candida iura,probantq́;:
Inde vigent moresq́; boni,& concordia felix,

Creſ-

Creſcit honor patriæ, laus genti & fama paratur.
Hunc etiam Pataui dum nos inducere morem
Nitimur, illorum tulimus ludibria, qui ſe
Lege volunt nulla, Cyclopum more, teneri.
Hîc quoq; dum tumulis legimus perſcripta vetuſtis
Nomina, Cæſareum iuuenem Mutinenſibus olim
Adiunctum auxilio, captum per prælia, fulgens
Aes loquitur: cuius pro libertate daturum
Tortile Felſineos aurum circum vndiq; muros
Promiſiſſe patrem nil iuuit: quatuor ille
Luſtris, dimidioq;, tulit non debita vincla,
Donec eum fatum cœleſtibus intulit oris.
Bis ter flammiferum Titan circumegerat orbem
Paduſa lacus. *Nos præteruecti piſcoſæ ſtagna Paduſæ,*
Et lapſu audacis Phaëtontis nobile flumen
Eridanus fluuius. *Eridani, Veſuli quod manat origine montis.*
Ferraria vrbs. *Tum procul apparet latis Ferraria campis,*
Non tam coctilibus, quibus eſt circundata, muris,
Non domibus, templis, non arce vijſq; ſuperba:
Quam vatum ingenio natiq; patrisq;, duorum.
Quos patria pulſos, gremio ſic fouit amico,
Dicere vt eſſe ſuos nequeat Florentia Strozas.
Herculis hîc ſtructum Ducis eſt Eſtenſis aſylum,
Nomine, quem ſtatua populus decorauit equeſtri.
Delius hîc vates quoq;, Theſpiadesq; puellæ,
Perpetuis ſacris, & feſta fronde coluntur.
Inſula ab Eridani ſinuoſo cingitur amne:
Vrbis opus, Ducis Alfonſi lætiſſima ſedes,

Cui nec Perſarum regis, nec Adonidis horti
Ceßiſſent, eadem ſi cura nepotibus eſſet.
Hac viſa, & viſo, qui multa factus ab arte eſt,
Monte, lociſq; alijs, quæ commemorata per vrbem,
Continuata via eſt, Atheſiq; Padoq; relictis, Atheſis, Padus fl.
Ceu quendam referens illis regionibus Iſthmon,
Rhodigium petitur, varijs tibi cognite Cæli
In ſtudijs, natale ſolum. hinc ſuperata beata Rhodigiū opp.
Planicies, alma Cereris Bacchiq; voluptas:
Quæ non antè ſuos habuit longißima fines,
Quàm Phrygia aſpicimus, triplici circundata muro Patauium vrbs.
Tecta, & Medoacum flumen, notoſq; penates
Euganeos, culti loca nobilitata Lycæi Medoacus fluuius.
Fama, quod Cæſar Rufæ cognomine barbæ
Felici auſpicijs felicibus extulit æuo:
Dux bonus, & ſapiens, qui fuit ſacra Mineruæ,
Nec minus eſt Martis ſtudijs operatus in armis.
Ille tuam Liui patriam, qui munere tanto
Auxerat, ore tuo dignus ſcriptiſq; fuiſſet.
Nec mihi fas paucis perſcribere verſibus, ortum
Antiquum, foſſas amplas, pomœria lata,
Patricijue artem, vel plumbea tecta palati.
Siue noui templi molem, molémue vetuſti.
Attila quas clades, quas ſæue Eceline dediſti
Heu vrbi infauſta: ſed priſtina Carrarienſes
Damna, dein Venetus reparauit cuncta ſenatus.
Salue terra meis indulgentißima Muſis:
Quam, ſi non patria alterius reuocarer amore.

Opta-

Optarem feſſæ portum requiemq́; ſenectæ.

Patauij, Cal. Iunij, 1543.

ITER CHEMNICENSE, ad Volfgangum Meurerum.

QVæ prius emenſæ ſint terræ, quáſue per vrbes
Iuerimus, patrias quàm cernere contigit ædes,
Curarum conſors Meurere ô fide mearum
Accipe. Poſt dulces amplexus, poſt tot amica
Patauium vrbs. *Verba, dataſq́; manus, ſtudiorum matre relicta*
Vrbe Antenorea, nos Pluuicus excipit augens
Pluuicus. Muſo fl. *Medoaci curſus. paruum hinc Muſonis ad amnem*
Taruiſiũ vrbs. *Venimus, & patriam tibi Totila barbare terram,*
Manat vbi placidus piſcoſo flumine Silus,
Silus fl. *Et miſcens ſocias Gagnanus vitreus vndas.*
Gagnanus. Blaua fl. *Poſtea cœruleæ linquentes aſpera Blauæ,*
Primolanum opp. *Prouehimur ſubitò Primolanum, Scalaq́; longè*
Monſtrat inacceſſas vno niſi tramite turres.
Scala arx. *Intrata eſt ſæuo niuium damnata rigore*
Feltria op. *Feltria, Cæſarea quondam reprehenſa Camœna.*
Nondum veſper erat, ſed nubem fecerat imber,
Cùm Veneti imperij fines poſt ardua montis
Egreſſis, rurſus ſtagnantia flumina noti
Medoacus lacus. *Medoaci occurrunt: cui Nereus, & pater ipſe*
Oceanus, Nymphæq́; aſſurgunt æquoris omnes,
Quem propter magnus Patauinâ Lazarus vrbe

Ao-

Aonios aperit fontes, diuinaq; morum
Ac vitæ præcepta, docens digniſsima Phœbo,
Et Venuſine tuos æquans cantando libellos.
Nec procul illius caput, interrupta profundi
Stagna lacus, illa defeſsis nocte quietum
Præbuit hoſpitium, depreſſa in valle Tridentum. Tridentũ vrbs.
Vidimus hîc amplam profuſi præſulis arcem,
Artificumq; manus multorum, operumq; laborem,
Et luxum in tectis, non illo nomine dignum,
Officioq; licet nihil iſtis omnibus actum eſt.
Nam qui tam inſanus erexit ſumptibus aulam,
Ipſe iacet lutea non cognoſcendus in vrna:
Heroës inter numerandus iure beatos,
Si tanta cura, & tam magni pectoris auſu,
Chriſticolûm in terris ornaſſet viuida templa.
Mox Atheſis vallem, ſparſasq; in montibus arces, Atheſina vallis.
Salurnum, & dictam Neomarchæ nomine terram Salurnum arx.
Liquimus, alterius media iam parte diei
Externa petimus tum plenum merce Bozenum, Neomarcha opp.
Quod fæcunda Ceres placido deſpectat Olympo,
Nobilitatq; ſolum Campana fertile zea. Bozenum.
Aeſacus hinc vaſto per cautes murmure labens. Aeſacus fl.
Præteritus, rapidiq; ruentes montibus amnes,
Brixinaq;, antiquum nomen (niſi nomina fallunt) Brixina op.
Sublauionis habens: quid enim non tẽpora mutant?
Regna ruunt, pereunt gentes: nec nomina mirum
Mutari, aut cadere, aut rebus ſuccedere priſcis
Sæpè nouas: & nos aliquid neſcire locorum

Concedent, quibus Aeneas aut Inachus auctor.
Quis verò argenti venas in montibus illis
Stercingũ opp. *Eruit inuentas? quas nunc Stercingia tellus*
Suaciacis ſimiles gremio de diuite fundit?
Comiter hîc habiti: nec enim gens aſpera cultu, &
Moribus, Alpinis quamuis in montibus erret,
Viſa fuit: magnis mox imbribus atq; graui auſtro,
Scandimus aërij latera ardua Pyrenei.
Pyreneus mons. *Incertum Hiſpanis an nomen traxerit ille*
Montibus, aut alia qua ſit ratione vocatus.
Huic niue tincta coma, & glacie riget aſpera barba.
Rurſus in arua fuga ferimur, vallesq; profundas,
Sicanio veluti deprenſus in æquore nauta,
Cùm Boreas, Eurusq;, freto fera prælia miſcent,
Fluctibus ad cœlum modò tollitur, & modò ſeptus
Molibus vndarum, manes defertur ad imos.
Hîc poſt longa duo congreſſi tempora fratres,
Carolus Heſperijs victor, Ferdnandus Eois,
Cum patrijs cuperent propellere finibus hoſtem
Iſmarium, atq; Ducum longas componere lites.
Steinachiũ opp. *Poſtea Steinachium, Matreioq;, parua locorum*
Nomina præterita, at non planè incognita priſcis.
Matreio opp. *Donec Iulæi pontem peruenimus Oeni,*
Oenipons vrbs. *Quam ſemper nebula et malus vrget Iuppiter vrbẽ,*
Attamen egregijs tectis aulaq; decoram:
Milda pagus. *Curia conſilio patribus quæ facta verendis,*
Aurato latè reſplendet fulgida tecto.
Non procul inde Ducum vultus (ſigna æmula ſignis

Lyſippi) Auſtriadum, ſurgentesq́; ære coloſſos
Cernas, & longo victores ordine reges.
Quos ſi fata viros in tempora noſtra tuliſſent,
Non tot regna ſuus deleſſet Barbarus armis,
Thraciaq́; ante ipſam fixiſſet caſtra Viennam.
Poſtera rore leui virides Tithonia campos Cirellum
Sparſerat, ad ſcopulum curſu peruenimus altum: pagus.
Hîc vbi ſectatus ter maximus Aemilianus
Alta in rupe capras, finiſſet turpiter æuum,
Ni Deus ad maiora virum ſeruaſſet, opemq́;
Auxilio agricolæ penè ipſa in morte tuliſſet.
Progreſſi inde viæ modicum, miracula ſanctæ
In pago Sebefelde tuo, monſtrauit ad aras Schefeldū.
Sacrificus, duro manuum veſtigia ſaxo.
Hæc etſi quæſtus (quid enim non efficit aurum?)
Prodigioſa nimis, veriq́; expertia finxit,
Diſce tamen moderari animis, contemnere nullum, "
Quiſquis es; atq́; homines alios reuerenter habeto. "
Excipimur lauto clementer ab hoſpite Inutri, Inutrium.
Implemurq́; boni Bacchi, pinguisq́; ferinæ.
Iſara mox Boërum per fines, atq́; Loiſſa, Iſara fl.
Alpinis rapidi currentes fontibus amnes Loiſſa fl.
Traiecti: inde lacus cui nomen Coccherus indit, Coccherus lacus.
Et mons & fluuius, dextra eſt à parte relictus.
Quid memorem paruam, ſed priſci nominis vrbem
Parthanum, Henricus ſibi qua Leo tendere dextrā Parthanū
Suppliciter triſtem Fridericum vidit? at illa opp.
Quò minus Inſubres armis euerteret arces,

F 2 Cæ-

Cæſaris impedijt felicia cœpta ſuperbus.
Ambra fl. Lycus fl. Scōga opp. Irriguæ quid dicam Ambræ viridiſsima tempe?
Aut quid pulchra Lyci reſonantis flumina propter
Altera Theſſalico tempe digniſsima Pani?
Quæ non vna tenet, velut Itala littora, Circe,
Sed tres in iuuenum iuratæ damna ſorores,
Eumelis, & Glycere, & flauo Charieſſa capillo,
Monſtrantes pictis inſignia mille tabellis
Pendula parietibus, ceu capta ex hoſte tropæa.
Hîc riſum adueniens mouit prandentibus hoſpes.
Namq́; foro turdos vno vix aſſe coëmptos,
Lina ferens, captos à ſe iactabat, ea arte
Nos retinere parans. hinc per dumeta malignum
Continuamus iter, donec cum mœnibus vrbem
Humani altricem populi proſpeximus, in qua
Dulcis aquæ fons eſt, ornans vrbemq́; forumq́;.
Landsbergum opp. Landsbergi portas egreſsis campus obitur,
Non qualis Tiberinus erat, vel ad Elidis vrbem:
Sed maior ſpacio, atq; ad ludos aptior omnes,
Lyci campus. Siue rotis, vel iturus equo, vel ludicra ſumis
Arma pedes, cymbáue Lyco decurris aperto:
Siue animus Martis totas effundere vires.
Non cæſi hoc docuit clades triſtiſsima Vari,
Fracta ſed Hunniadum Germano milite virtus,
Pannoniæ & fuſus Sueuis exercitus armis.
Poſt hunc aſſequimur quam Rhetus condidit vrbē,
Auguſta Vindelicorum. Extulit Auguſtus, iam nomine gaudet vtroq;:
Vindelicæ caput, & nunc vnica gloria gentis.

Non

Non memorabô domos, nõ ſplendida tecta potentũ,
Non vna tot in vrbe Midas: non turris ad altæ
Frigidulis vndis eductum culmina fontem.
Non in quo proceres tumulo de rebus agendis
Conſultant, Phariæ quondam loca ſacra iuuencæ.
Non fora, nõ templa, & præclaros Conſulis hortos,
Ornatumq́; recens monumentum: fortis Othonis.
Non dicam poſuit quas diues Fuggarus ædes,
Hòſpitiumq́; laremq́; viris, quos cana ſenectus
Inualidos premit, aut inopes grauis vrget egeſtas.
Non quibus à claro iam Bibliotheca ſenatu
Sumptibus ëxtruitur. curſus hîc ſiſtat Apollo,
Non capit anguſtum tantæ vrbis pondera carmen.
Hinc tenues campis riuos, Cinclumq́; paluſtrem, Cinclus.
Virdonemq́;, aliosq́; obſcuri nominis amnes, Virdo, fl.
Longa referre mora eſt: properantes vltimus olim Danubius fluuius.
Excipit imperij Romani terminus Iſter,
Qui centum populos, & magnas alluit vrbes,
Abnobio per plana iugo, tot ab amnibus auctus
Euxinum irrumpit bis terno flumine pontum,
Cornuaq́; in limo frangit ſuprema paluſtri.
Primùm Alemanorum coluit quem Martia pubes,
Pòſt frameam portans in prælia Sueuus acutam,
Vinclorum impatiens, & libertatis amator.
Inſula cum rapido quam cingit Bernicus Iſtro, Bernicus flu.
Lenedat hoſpitium, & iucundæ gaudia noctis,
Cantus & choreas, ſed non ad barbiton, vllam Donauerda opp.
Aut citharam, vocem, ſed ſaltabatur agreſtis,

 Au-

Caſſa mo- *Augentis riſum non triſti fronte puellis.*
naſterium. *Inde ædem monachis cultam tranſiuimus, in qua*
Curatos videas, pingueſq; abdomine ventres.
Idne Lycoſtomios comites voluiſſe putandum eſt,
Cùm facerēt tātos in tecta hæc ſplendida ſumptus?
Monhe- *Hoſpita Monhemij cùm prandia lauta dediſſet:*
mium opp. *Auſa viris certare mero, atq; immania poſcens*
Pocula, penè fugam dare fecit Amazonis omnes.
Alema- *Proxima nos via fert Alemanū ad flumen, & vrbē*
nus fl. Vueiſſem- *Noriciam, niuea cognomen ab arce trahentem.*
burgū vrbs *Ad quam Pipini quondam fortiſsima proles*
Carolus, ingentem magno molimine foſſam
Ducebat, fluuium hunc vt cùm ſuperaſſet, & illum,
Qui fuerant medij, regnum coniungeret Iſtro:
Grande opus, & cuius locus hic veſtigia ſeruat.
Suabacchū opp. *Suabacchum Cereris laudatum munere potus*
Noriberga *Retro abit, excelſas vrbs monſtrat Norica turres,*
vrbs. *Qua non Germanis eſt vlla celebrior oris,*
Seu leges ſpectes, & ſancti iura ſenatus,
Et ſic vnanimi viuentes fœdere ciues:
Siue tot artifices claros, æquandaq; priſcis
Ingenia, & varios iuuenumq; ſenumq; labores.
Sed ne nos humili minuamus carmine laudes,
Mæonio vati dicendas, contrahe frena
Muſa, nec Heſsiaco te credas dicere plura
Poſſe ſene, aut Franco, veterū qui primus honorem
Daphnea meruit viridem de fronde coronam.
Hîc aliquot ſoles cùm duxiſſemus, amicis

Quam

Quam potuere moram nobis facientibus, imbre
Vorchemum madidi petimus, noctemq́; moramur: Vorchemũ opp.
Vorchemum, primis quo cunis vagijt Heltus,
Multorum ſtudijs natus, doctusq́; bonusq́;.
Excipit hinc rurſus Pegneſus, Noricus amnis, Pegneſus flu.
Mutato gaudens dici Radiantia verbo.
Inde Berengarij cantatam tendimus vrbem
Exilio, vel dictam auium de voce Pabergam: Paberg vrbs.
Vel de Saxonica ius illi dante puella.
Hac ſpacio inferior nulli eſt, vel ciuibus, vrbi
Finitimæ, atq́; alti ſublis culmine templi.
Impenſis tantũ Heinricus fecit id olim,
Vt cultus verbi diuini in gente maneret,
Exempla & memores celebrarent ſancta nepotes.
In primis Ioachime tuo nunc nobilis illa eſt
Ingenio, liquidas ad nos qui Phocydis vndas
Transfers, & Graias trahis ex Helicone ſorores.
Iam ſatis, & quantum viſum fuit, vrbe morati,
Nuda nec alta illum naſci virgulta per agrum
Cernentes, flexasq́; comas, glomerataq́; lapſu
Brachia multiplici radicis: nunquid ea illa eſt
Nota (aio) radix, alijs non cognita in aruis,
Eſt nomen qua de dulcedine nacta Pelaſgum?
Piſciferi porrò delabimur ad vada Mœni, Mœnus fl.
Qui fluit ex altis gemino de fonte Nariſcis, Nariſci populi.
Antehac Francorum limes, quàm plurima virtus
Illorum externas gentes ſubiecerat armis.
Longius euecti, Coburgi vidimus arcem Coburgũ opp.

Illuſtrem, atq; arci ſubiectam intrauimus vrbem.
Hanc princeps cara accepit cum coniuge terram,
Cui tribuit virtus Friderico ſtrenua nomen,
Turingis primùm cùm Francia paruit armis.
Hoſpitis hîc nobis animus vultusq; benigni
Eisfelda, Defuit: Eiſfelda tractamur lautius vrbe.
Irmen-kirch. Hinc Hermæ petitur ſacratus numine quondam
Lucus, adhuc veteris retinens veſtigia templi.
Huius ſacra Dei coluere Tuiſcone nati,
Cultricesq; illi ſtatuerunt vrbibus aras,
Signaq; Cecropiæ quot non vidiſtis Athenæ:
Hoc luco fama eſt magnos arſiſſe tumultus,
Exciret miſerum cùm pubes ruſtica bellum,
Saxangusta Nobilium imperium & dominorũ iuſſa recuſans.
arx. Poſtea decliuem poſt montem, valle relicta
Semana Anguſtæ, impoſitam ſaxo conſpeximus arcem:
ſilua. Et denſam arboribus multo ſudore Semanam
Scandentes, crebrò torquemus lumina retro.
Eſt domus in media parua atq; incondita ſilua,
Fœmineo incertum quare de nomine dicta:
Tardius hanc Phœbes exorta luce ſubimus,
Amiſſos fruſtra ſocios per vota vocantes.
Manè metalliferis argenti cognita venis
Ilmena op. Ilmus fl. Ilmena præterita eſt, muſcoſo nomen ab Ilmo
Terra tenet: doctus Pelignis æmula faſtis
Carmina Stigelius fluuium meditatur ad Ilmum.
Turingia. Iam latos aperit Turingia fertilis agros,
Hieras fl. Quos rigat arua fluens per pinguia lentus Hieras.

Iuſ-

Iuſſit Areuſtadij nox tum vicina manere. Arenſtadiũ opp.
Orta dies adeò, validos Erſordia muros Erfurdia vrbs.
Oſtentat: ſpacij quæ tantum amplectitur vna,
Quantum vicinis non in regionibus vlla,
Magna potensq́; licet. verùm ſunt mœnia nulla
Firma ſatis, quamuis ſint ære adamanteq́; ſtructa,
Si leuis inſanos vexet diſcordia ciues.
Quaſi Romanas euertit ſedibus arces,
Sol quibus imperium non vidit maius in orbe.
Quid miſeri tutum vobis erit? heu malè rixas,
Irarumq́; alitis veſtra intra viſcera flammas.
Hoc vitate nefas, & vobis flumina lactis
Inter agros pingues, & flumina nectaris ibunt.
Inuentis illic ſocijs, de corde fugata eſt
Triſticia, hinc vacui magnam loca clara per vrbem
Circumimus, celſamq́; arcem, celſoq́; locata
Templa iugo, atq; auro ſplendentia tecta micante
Aſpicimus, nec non hominum cognoſcere mores
Delectat ſine fraude rudes: at non ſine magno
Cernimus Aonium gemitu cecidiſſe Lycæum.
Cuius ſi veteres rurſum inſtauraret honores,
A gratis eſſet nomen latura Camœnis.
Luce ſequente lacum Cycnæum, & mœnia parua Cycnæus lacus.
Ambuſta Coleda, nondum reparata videmus. Coleda op.
Arx antiqua manet, ſilua hinc & montibus, inde
Planicie, & fuſis latè circundata campis,
Nomine Beichlingum: quæ perdita Cæſaris armis Beichlingum arx.
Heinrichi, nomen ſeruantis in ordine Quarti,

Cùm Dedo Miſnenſis,famulo truncatus ab enſe
Oppetit,agnatoq́, ſuo ſua regna relinquit.
Thimoni quæ pòſt tribuit Lotharius vltro,
A cuius clari florent modò ſtirpe nepotes.
Hanc arcem procerum quondam poſſederat vnus,
Saxonibus qui iura dabant belliq́, togæq́,:
Hinc coluere loci Comites de nomine dicti,
A patre nunc & auo Vuerterus poſſidet illam,
Ingenioq́, ornat:poſt meſſes quinq́, receptus,
Emenſa Italia,laribus requieſcit amicis.
Me quoq́, cùm patria viſenda tangeret ardor,
Proxima quæ à prima fuerat ſum luce profectus,
Steinum urs. *Accedens Steinum (quanquam propiore licebat*
Ire via)ſedem Viceleba gentis auitam:
Salſum ibi guſtaui fontem,lapidiſq́, nitentis
Collegi cruſtas,imitantis Latmia vultus
Noctetuos,ideo ſpeculi de nomine dicti.
Sebergus mons. *Poſt hæc anſatas Sebergi inquirimus ollas*
Montis,vti perhibent,Pygmæis vaſcula,quondam
Triticeas colerent dum terras,fortè relicta.
Cornuaq́, immanis manibus tractauimus vri,
Sed carie corrupta, imiſq́, reperta cauernis
Saxi,dum reparant arcis fundamina priſca.
Hoſpitio & bonitate viri detentus amici,
Qui iuuat afflictas hoc duro tempore Muſas,
Apolleda la. *Cœptas carpo vias,dictamq́, ab Apolline villam*
Cum ſocijs venio,quos tum comitabar euntes.
Sala fl. *Permenſa inde Sala,Miſnenſis panditur ora,*

Quæ patribus parte eſt Oſtlandia dicta vetuſtis,
Accepit, cui terna dedit Victoria nomen.
Hic nox, & media pars eſt conſumpta diei.
A dextra Citium linquentes, fortè ſubimus Citium op.
Inde Pegam: nō magna quidē, verùm optima terra Pega opp.
Fertilitate loca, & frumento ditia rura.
Hic fortaſſe potes tumuli meminiſſe Viperti,
Audacis iuuenis, cuius fuit inclyta Marte
Dextera, conſilijsq́; idem nec inutilis auctor
Creditus. hic dicta ſocijs de more ſalute,
Solus iter pergo per olentes ſuauiter agros
Auricomante croco: cedas nunc Coryce, cedat
Cyrene, eſt ſua Germanis quoq; gloria campis.
Iam propè veſper erat, nec longum Lipſia viſa eſt: Lipſia vrbs.
Quam ſi propter opes laudarem, & ſplendida tecta,
Atq; puellarum formam, iuuenesq; ſuperbos,
Omnibus & notá, atq; alijs cantata referrem:
Quòd præclara viris, Muſas quòd honorat, amatq́;
Eximium decus eſt: & tanto plura meretur
Præmia, res quanto vincit ſapientia viles.
Eſt excelſa domus, Grimanæ proxima portæ,
Hanc Epicure tua coluit turba æmula ſecta:
Nunc dux Mauricius meliorem vertit in vſum,
Præmiaq́; atq; amplos congeſtæ frugis aceruos
Addidit, & iuuenum ſtudijs Chriſtoq́; dicauit.
Iamq́; ibi Borneri ſtudio, cui publica cura
Res etiam antè fuit, multis ex vrbibus aucta
Bibliotheca loco celebri claroq́; paratur.

Hîc quoq; dum noti luſtramus ſingula templi;
Repperimus malè cæſe tuũ Dicemane ſepulchrum,
Tyrrhena titulum cui Dantes exul ab vrbe
Condidit, atq; notis factum ſignauit Hetruſcis.
Eliſter fl. *At nos cogebat Philyræum morbus Eliſtrum*
Effugere, in totam diffuſus peſtifer vrbem.
Ilus fl. *Non tamen exigui vada cæca effugimus Ili.*
Qui me penè ſuis incautum perdidit vndis:
Fonteia opp. *Venimus oppidulum Fontis de nomine dictum:*
Lucca op. *Ad dextram Lucca eſt, prope quã Fridericus, iniquis*
Multa ferens commiſſa patris, fortiſſimus heros
Proſtrauit Sueuas Miſnenſi Marte cohortes,
Et bis Cæſareas aquilas dare terga coëgit.
Vira fl. *Mox flumen Vira, & reparatum pace Frobergum,*
Frobergũ, *Nam quondam hoſtili ſublatum funditus igne.*
Cora, opp. *Tum muros arcemq; Coræ, quam propter iaſpis*
Mulda fl. *Effoditur generis varij: & te Muldaiacentis*
Peniga op. *Tangentem Penigæ portas celerando reliqui.*
Caſcus mons. *Hinc vrbs Cæſareis, Caſcum prope cõdita montem,*
Auſpicijs, fluuij præterlabentis adepta
Chemnicium opp. *Nomen, Chemnicium nos excipit alite læto.*
Hæc nunc ingenio Agricolæ celeberrima magno,
Qui pulchrum conſcripſit opus, terraq; ſub alta,
Dædala quod natura tegit, caligine merſum
Obſcura, doctorum oculis proponit; vt antè
Pondera reſtituit: nunc reſtituiſſe putatur
Artem Veſalius, quæ corpus & intima membra
Rimatur, vitæ diuina inuenta tuendæ.

Chemnicij, Cal. Octob. 1543. *Iter*

ITER ARGENTORATEN-ſe, ad Valentinum Grauium.

QVi mihi chare Graui, primos numerādus ami- (cos
Inter eras, poſtrema mei cape dona laboris.
Et ſi fortè vacas, quo ſidere, quóue profecti
Auſpicio, atq; via Trebocum ſimus ad Ellum,
Quà ſua cum viridi cōiungit flumina Rheno,
Perlege. Tempus erat, tumidas quo vinitor vuas
Preſſat, & æquoreis cum piſcibus occidit Argo.
Nos Helmæ pontem primùm cum fratribus ire, Helmę pōs
Cauſſa animi, placuit Vuertero: ea villa dicata eſt opp.
Nymphis, Arcadiæq; deo, pulchriſq; Camœnis.
Hic quoniam nobis non abnuit vſq; morari,
Non lepus in campis, non ales in aëre tutum
Carpſit iter, timuitq; ſuo ſibi flumine piſcis.
Pòſt iter ingredimur Beichlingi ſede relicta, Beichlin-
Suauiter in ſtudijs vbi totum viximus annum, gum arx,
Antè tamen ſuperos his verbis penè precati:
Hanc rege Chriſte viam, quam nunc virtutis amore "
Suſcipimus, comitemq; fidelem cœlitùs adde, "
Qui nos incolumes ducat, vitamq; gubernet, "
Ac ſtudia, & patrijs reddat feliciter oris. "
Egreſſum iam limen erat, mox Loſſa relicta eſt, Loſſa,
Et ripam effuſis ſuperans ſæpè Vnſter habenis Vnſter, fl.
Anguſtam, tacitoq; ſecans Tempe aurea curſu.
Inde lacus liquidis ſortitus nomen ab vndis

Leucius lacus. Leucius, exiguoq́; leues quæ tramite tophos
Helba fl. Helba vehit, ſociatq́; breui ſua flumina Clinga.
Clinga fl. His ſua dona locis pariter Bacchusq́; Ceresq́;
Oſtentant, & ditat Iſatidis herba colonos,
Puniceoq́; crocus genialis ſpirat in aruo.
Heilunga arx. Veſper erat, nos Heilunga ſumus arce recepti,
Perpetuam hac pietas legit & concordia ſedem.
Quatuor vna domus fratres, eademq́; voluntas
Omnibus, ac ſtudium, regere & parêre viciſsim.
Vix in Amycleis geminis quod Græcia quondam
Salza opp. Perſuaſit populis, hoc credat tempore nemo.
Tum Salzæ muros, & eodem nomine flumen
Horriſonus mons. In pluuia præteruehimur, montemq́; videmus
Horriſonum, celebrem quem fecit fabula vulgi.
Neſcio quem Geniúmne loci, vel ab æthere Dirū,
Tænarióue herebo, latebroſis condier antris,
Qui fido admonitu, ne quis fortè inſcius intret
Neſſa fl. Terrêre, & ventura ſolet narrare pericla.
Ventum hinc ad Neſſæ fluuium, cui frigora rarò
Inducunt glaciem: poſitam hinc in vallibus vrbem,
Iſenacum opp. A ferro dictam vulgo, ſed ab Iſide doctis,
Quam coluit framea committens prælia Sueuus.
Conſtituens illi ſiluis ac montibus aras.
Vartburgum arx. Imminet arx vrbi, madidos quà reſpicit auſtros,
Reginæ ſedes, quæ ſceptra decusq́; caducum
Quodcunq́; orbis habet, præ Chriſti ſpreuit amore.
Vtq́; miniſterijs inopum ſtudioſa vacaret
Elizabetha, pij neptis generoſa Dedonis,

Rochliciam Miſna qui rexit legibus vrbem.
Horſela & Ella dehinc, tenui cum flumine Sula, Horſela fl.
Atq; his Vella tribus maior, vix nomine digni, Ella fl. Sula fl.
Nec rarò ignoti proprijs cultoribus amnes, Vella fl.
Poſt tergum colles inter vallemq; relicti.
Veſpere conſpicimus fumoſa mœnia Facchæ, Faccha op
Ad qua Vuerra ſuũ conſortem amplectitur Vnſtrũ: Vuerra fl.
Sed minimè talem, qualis Turingicus exit, Vnſtr fl.
Plana ſecans, ſociaq; Sala ſua flumina iungens.
Concuſſi curru, parua diuertimus vrbe.
In tota quidquid pinguis dedit hoſpita cœna,
Anſer erat: menſis poterat qui rarior eſſe.
Rarus erat rigidis per dura cubilia lectis.
Manè graui in nebula ſurgentem cernere Phœbum,
Quamuis luce procul montes feriebat acutos,
Vix licuit, donec perrupta nube ſerenum
Exeruit vultum, & claro micat igneus orbe.
Inde Caballinæ ſurgebant culmina villæ,
Hîc vbi collectis ſtruxerunt ſumptibus arcem Roſdorff
Agricolæ, tutamq; tenent, & parta reponunt, arx.
Præſidium dubijs, ornamentumq; ſecundis.
Gens ipſa exercet montes, & vomere ſaxa
Frangit, opesq; parat pexo ſibi fœmina lino,
Educet vt duros communia pignora natos.
Vt montana pij ſunt templa relicta Gehulſi,
Ad campum lenta propius peruenimus Huna. Hunafeld
Iam verſurus erat ſua Cynthius ora profundo. opp.
Altaq; cæruleo ſplendebat ſilua colore, Huna fl.

Atq;

Atq; rubore polus decliuem pinxerat axem,
Fulda opp. *Nos Fuldam ingredimur, mirati templa, rotamq;*
Auream, & Idææ reſonantem ſiſtra Cybeles,
Et ſculpta in gemmis veterum pia facta parentum.
Heu quantum à priſcis hæc diſtant ſecula ſeclis.
Nam nō ſacrificos hac vllos vidimus æde,
Sed Tuſci turbam vici, mediæq; Saburæ.
Schluchter opp. *Pōſt ſilicis ſuperata via eſt, occluſaq; ſilua,*
Kinziga fl. *Et ventum ad tenues quos tangit Kinziga muros.*
Hoſpitis hîc bonitate tamen, vultuq; benigno
Excluſus labor eſt, & nox iucunda ſecuta.
Stena op. *Ante Stenam ſilua eſt, & fons puriſſimus ante*
Vuertheimum opp. *Vuertheimum: hoc plano campo, iacet altera colle,*
Gelhuſa. *Oppida parua. ſacram Bromio Cereriq; Gelhuſam*
Imperijq; vrbem petimus, votoq; potimur.
Dumq; fora & templum luſtramus, fortè querelas
Fundentem legimus Chriſtum, & ſic ore loquentē:
" *Sum lux, nemo cupit talem cognoſcere lucem.*
" *Sum via, noſtra tamen ſequitur veſtigia nemo.*
" *Sum pius & placidus, nemo audet fidere nobis.*
" *Sum rerum cœliq; potens, me nemo veretur.*
Poſſidet hîc amplas animis concordibus ædes
Libera nobilitas, & magnis ſæpè timenda
Principibus: tam non trepidè ſua iura tuetur.
Cattorum montes. *Hinc meliore via Cattorum ex montibus altis*
In planum euecti, vallatam vidimus Hanam,
Hana opp. *Auget vbi Francum Fuldenſis Kinziga Mœnum.*
Francfordia vrbs. *Mox turres offert Francfordia nobilis altas,*

Vrbs

Vrbs decus imperij,quæ primos Cæſar honores
Accipit,& titulum regni ſceptrumq́; reportat:
Lignea tota tamen,nec claris ſplendida tectis,
Sed claris ſpecioſa viris:huc ſæpe Camœnas
In ſua tecta trahit facunda voce Micyllus,
Suſpenſaſq́; tenet Phœbæo numine plenus.
Tum mihi Saxonicas aduerſo in littore ſedes Saxenhuſia opp.
Cernere non ſocij,ſed nox ſpaciumq́; negabant.
Quàm vellem præſens etiam tu fortè fuiſſes,
Cùm nos ad cœnam tempuſq́; hoſpeſq́; vocarent:
Scindebantur enim ſtudia in contraria cuncti,
Vt fit,cùm mentes caluiſſent,cumq́; loquentem
Suſpenſi audirent,quid ſæuus Turca pararet,
Quiq́; Dei templo & Romanæ præſidet vrbi.
Magnanimi quidam laudabant Cæſaris acta:
India cui dederit,cui tentata Africa nomen,
Et ſedata armis iam Gallia,ſitq́; daturus
Euxinus tandem Nili cum flumine pontus.
Quæ licet acciperet non gratis auribus hoſpes,
Poneret & vilis Lenæi munera,Gallum
(Ignoſcat Cæſar)pleno laudauimus ore:
Tunc facundus erat,tunc omnia dicta probabat,
Triſtia moroſæ deponens nubila frontis. Hoeſta op.
Altera lux defert turritæ ad mœnia Hoeſtæ, Nida fl.
Ad quam Nida ſecans fœcundos leniter agros
Miſcetur Mœno,& placido caput occulit amne, Hochemũ opp.
Hinc ad vitiferos Hochemi tendere colles Caſtellum
Pergimus, et dictum Caſtelli nomine vicum, opp.

Oſtia tangentem flaui placidiſſima Mœni.

Oſtium Mœni. Non mendax loquitur Latias hoc fama cohortes
Conſediſſe loco. teſtantur plurima ſigna
Sub terris inuenta, & priſcis ſculpta figuris,
Quarum res geſtas & munera litera monſtrat.

Maguncia-cum vrbs. Tranſmiſſo Rheno præclaram tangimus vrbem,
Cui Magus atq; Ciæ torrens, coniuncta dedêre
Nomina, dum Gallis regna immutata manerent.
Vidimus hîc grandem Glandis cognomine molem,
Romani Druſo quam conſtituiſſe feruntur.
Cui mortem & nomen victrix Germania fecit.
Quid referam inſignem diuini pectoris artem,
Scriptos antè manu, nunc ære excudere libros,
Iſta quæ primos ortus inuenit in vrbe?
Hac nihil vtilius dedit ingenioſa vetuſtas,
Quamuis inuentis lætetur Græcia multis,
Atq; ſuum nobis terra Itala iactet acumen.
Quis verò neſcit paruum intra mœnia collem?
In quo ſi tergo iaceas vultuq; ſupinus,
Suſpenſam cerni quaſi in ipſis nubibus vrbem?
Res mira, at credenda tamen: ſed dicere cauſſam
Materia ipſa vetat, iamq; aurem vellit Apollo.
Hîc Academiam non eſſe in flore, dolendum eſt,
Exiliumq; pijs indici turpe Camœnis:
Cùm tamen interea tot corpora pigra ſaginet
Luxus, & haud illos congeſta pecunia in vſus.

Oppenheimum opp. Inde Oppenheimum progreſſi naue, quod olim
Ruſiniana fuit, vel quod Bauconia dictum,

Ne-

Nomē enim in dubio eſt: nā noſtri munera nunquā
Muſarum, at duri tractarunt prælia Martis:
Nemoq; res ſcripſit, fecerunt fortiter omnes.
Hinc tot facta patrum, tantorum & origo locorū,
Tot veteres ritus, Lethæa nocte ſepulti.
At puto tempus erit, cùm nulla gloria gente
Noſtra minor, quæcunq; æuum coluere per artes,
Seu quæ pace vigent, ſeu quæ dominantur in armis.
Iam propè villa fuit, quæ poſt curuamina longa
Rurſus iter ſolitum leni tenet agmine Rhenus.
Hinc ad Vangionum nos curſus detulit vrbem Vormacia vrbs.
Magnificam, eximijq; ſoli, rerumq; feracem
Omniū, at exhauſtā populo tamen, inq; frequentē,
Quã, ſi iã (quid enim hæc vetat et meliora precari?)
Diſcordem victor componet Carolus orbem,
Aeternum cunctis celebrabitur inclyta ſeclis.
Poſtea Obersheimo poſt prandia in imbre relicto, Obersheimum op.
Quæ notat Argolica pugnantem voce cohortem,
Proxima Spira fuit: veteri de nomine lis eſt, Spira vrbs.
Sed certum fortes illam tenuiſſe Nemetes:
Ampla loco, tectis ornata, auguſtaq; templo,
Quòd ſex Cæſaribus tribuit commune ſepulchrū.
Hæc nunc imperij totius iura tuetur,
Et rigidam Minos hic verſat, & Aeacus vrnam.
Inde paludoſum campum, Rheniq; fluenta
Transgreſſi, ad Grabā, et Vincæ peruenimus amnē, Graba arx. Vinca fl.
Principis ingreſſi florentia rura Badenſis,
Maioreſq; eius quæ ceperat arce, Rupertus

Cæſar ad imperium reuocans non iure rebelles,
Mulbergũ arx. *Mulbergo excipimur, ſub ſera crepuſcula noctis.*
Alba fl. *Poſt Albæ riuum confeſtim ſe breuis offert*
Silua dicata feris, trepidus qua ſæpè fugaces
Faunus Hamadryades latebras intrare coëgit,
Fonsq́; viá poſitus, placidis balantibus vnda.
Raſtadium opp. *Deinceps Raſtadiũ, Morychũq́; relinquimus amnẽ,*
Morychus fluuius. *Stolhofijq́; arcem, nec non munita viarum*
Effugia; & foßis ac dumis vndiq; cincta:
Stolhofiũ opp. *Quodq́; à luce tenet nomen, quòd paruula præter*
Renga fluit, dulcem feßis dat nocte quietem.
Lichtenã opp. *Hinc Holcham exilem riuum, ſed protinus imber*
Renga fl. *Vt cadit, exitium pecori domibusq; ferentem:*
Holcha fl. *Tum Kinza, & tardæ ſuperato flumine Suræ,*
Kinza fl. *Stringentis ripas, auri & ramenta ferentis,*
Sura fl. *Sublicius Rheni nobis procul aſpicitur pons.*
Pōs Rheni. *Iam muros validos, & propugnacula bello,*
Inprimisq́; altam propius fert inclyta turrim
Argentoratũ vrbs. *Argentina, domus doctorum clara virorum:*
Inter quos, veluti reliqua inter lumina Phœbus,
Sturmius excellit: cuius nos pectus & ora
Mirati, dulcem patriam, caræq́; parentis
Spernentes lacrymas, modò ſi non fata repugnant,
Et vitæ & ſtudijs ſedem delegimus iſtam.

Argentorati, 4. Id. Octob. 1544.

GEOR-

GEORGII SABINI BRANDEburgenſis in peregrinationem Stanislai à Laſco,

ELEGIA.

Laſcus, Iaſoniam cuius celeberrima nauim
Gens, inſigne vetus nobilitatis habet,
Heroum ſimilis, quos longa per æquora vexit
Phaſidos ad gelidi Pelias arbor aquas,
Non ignaua domi, nec inerti perdita luxu
Ocia, natali duxit agenda ſolo:
Ipſe ſed ignotas vrbes & regna petiuit,
Quæ procul à patria ſede remota iacent.
Arua peragrauit, qua ſpumifer alluit Albis,
Quaq́; virens læto palmite Rhenus obit.
Hinc ad liligerum ſe contulit aduena Regem,
Magnificasq́; tuas Sequana vidit opes.
Bellica quin etiam Gallorum ſigna ſecutus,
Anguigeri ſubijt mœnia capta ducis:
Cumq́; foret ſtratus Ticini miles ad vrbem
Gallicus, & verſis terga darentur equis,
Non turpem dedit ipſe fugam, ſed vulnus honeſti,
Cumq́; triumphato vincula rege tulit.
Inſubrium verò cùm digrederetur ab oris,
Rurſus Aquitanam tum peragrauit humum.
Inde tetendit iter per nubiferam Pyrenen,
Et procul acceſſit flumen Ibere tuum:

Cuius in herboſo riparum margine quondam
Ditia Geryonis paſcua Regis erant.
Vidit & extremo ſemotos orbe Britannos,
Pulſaq; ventoſo Danica regna mari.
Te quoq; luſtrauit gelido Noruegia cœlo
Subdita, candenti quæ niue tecta iaces.
Balthica Vandalicæ perſpexit & oppida gentis,
Quasq; potens vrbes Pruſſia martis habet.
Deniq; natales vbi rurſus contigit oras,
Et loca quæ patrijs Sarmata bobus arat,
Protinus acceſſit terram quæ fortibus Hunnis,
Quæq; pharetratis eſt habitata Getis.
Inde petens adijt veterum Byzantia Thracum
Mœnia, crudelis quæ modò Turca tenet,
Adq; Propontiacas vrbes huc vectus & illuc,
Legit Abydeni littora curua freti.
Hinc, vbi Myrtoum ſulcaſſet nauibus æquor,
Turgida Carpathium per mare vela dedit,
Inq; Paleſtina, Chriſti cunabula vidit,
Regnaq; primæui quæ tenuere patres.
Adde quòd Aegypti Regem, quòd & oſtia Nili,
Pyramidas vidit Memphi quòd alta tuas,
Et Lybiæ tractus, & quæ Sydonia Dido
Imperio tenuit Punica regna ſuo.
Quid loquar vndantē flammis ardentibus Aetnā?
Cuius Mulciberi follibus antra gemunt,
Et cinctam canibus latrantibus inguina Scyllam?
Attractas vidit quam lacerare rates.

Aut

Aut q̃d Parthenopen? aut q̃d loquar inclyta Romæ?
Mœnia? flaue tuis Tybri propinqua vadis:
Aut dites Arni populos? vrbemq́; potentem,
Quæ tenet Adriaci regia ſceptra maris?
Inde Tridentinas ad Norica rura per Alpes
Venit, & ex illis contulit hoſpes iter
Huc vbi regna tenet, ſaltuq́; virente tuetur
Cincta Bohemorum candidus arua leo.
Tandem poſt varios caſus, & longa viarum
Tædia, natali vix requieuit humo:
Continuò Litauosq́; Boryſthenidasq́; Rutenos,
Ac deſolatos aduena vidit agros,
In quibus effrenis Scytha ſanguine paſtus equino,
Errabunda ſuo cum lare plauſtra mouet.
At vagus immenſum Laſcus quæcunq; per orbem
Vidit, vt Aonio carmine nota forent,
Cultor Apollineæ præſtans Holtorpius artis,
Grandibus hæc numeris ipſe legenda dedit.
Interitura quidem tantorum fama laborum,
Quæ nunc inſigni laude feretur, erat:
Aſpirante ſacro Phœbi niſi numine vates
Verſibus illuſtrans hoc celebraſſet iter.
Ergò peragratis vt Iaſona gentibus æquat,
Argoam meruit cuius habere ratèm:
Sic etiam docti præconia vatis adeptus,
Egregio nomen carmine Laſcus habet.

F I N I S.

GEORGII SABINI BRANDE-burgenſis Hodœporicon itineris Italici.

CYnthius emenſus Nemeæi fulua Leonis
Terga, per Aſtreæ ſigna, regebat equos,
Italiam quando digreſſus ab vrbe petebam,
A duce qua Brenno condita nomen habet:
Cœruleus tardis vbi flexibus errat Hauelus,
Cuius ad inſtabiles mons iacet altus aquas,
Qui iuga pampineis adopertus ſumma racemis,
Gignit arenoſo dulcia vina ſolo:
Qualia ſpumantis Rheni producit ad vndas
Vangionum pingui conſita vitis agro.
Mœſtus vterq; parens amplectebatur euntem,
Anxia mens quorum plena doloris erat:
Humida manantes lachrymaq; per ora fluebant,
Iam mihi cùm vellent dicere: nate vale.
Vt loca contigeram ſiccis arentia glebis,
Saxones Albi tuum qua prope flumen arant:
Vallata aggeribus me VVittenberga recepit:
Sol erat Heſperias tum ſubiturus aquas.
Protinus ingenui me conuenêre ſodales,
Cùm fuit aduentus cognita fama mei:
Seraq; ducentes patrio conuiuia ritu,
Longa feſellerunt tempora mille iocis:
Arctophylax donec vertiſſet plauſtra Bootes.
Inde toro feſſus membra leuanda dedi.

Poſtera vix nitidos aurora reduxerat ortus,
Vmbra ſoporiferæ pulſaq́ noctis erat:
Ingreſſurus iter, peronibus induo plantas:
Alligo ferratum calcar vtriq́ pedi:
Impono tegimen quod crinibus arceat imbres,
Armatum valido cingitur enſe latus.
Poſthæc ingredior docti conclaue Philippi,
Diſcipulus pariter cuius & hoſpes eram.
Hunc, vbi facta fuit coram mihi copia fandi,
Alloquor: ac tales profero voce ſonos.
Quas tibi docte tua pro ſedulitate Melanchton,
Pro meritis grates, hinc abiturus, agam?
Qui rude formaſti, teneris præceptor ab annis,
Artibus ingenium per duo luſtra meum.
Non hæc labra ſacro perfuſa liquore rigaſſet,
Pegaſeæ fons eſt qui mihi potus aquæ:
Si mea non eſſet primæ lanuginis ætas
Tradita præceptis erudienda tuis.
Ardua conſcendi Parnaſi culmina montis,
Te duce Naſonis molle ſecutus iter.
Ergò quòd annumerat me Teutona terra poëtis,
Notaq́ principibus quod mea muſa placet:
Me debere tibi fateor, ſemperq́ fatebor,
Dum mea vitalis ſpiritus oſſa reget.
Hinc ſed ad Euganeam cùm nunc Antenoris vrbem,
Præceptore meo te cariturus eam:
Viue tuaq́ vale ſaluis cum coniuge natis,
O mihi vir chari patris amate loco.

Ipſe ſub hæc, pleno ſingultibus ore locutus:
Carpe Deo felix auſpice, dixit, iter.
Quæ cum fatus erat pro tempore pauca: miniſter
Cornipedem frenis impediebat equum.
Tum formoſa mihi patre nata Melanchtone virgo
Serta profecturo, matre iubente, dedit:
Caſtaq; demittens pudibundo lumina vultu,
Hoc tibi ſit noſtri pignus amoris ait.
Dulcia ſuſcipiens innuptæ dona puellæ,
Ipſe reſoluebam talibus ora iocis:
Mollia ſi dextro me ſydere fata reducent,
Anna tori conſors efficiêre meì.
Iam ſed arenoſo poſtquam digreſſus ab Albi
Attigeram ripas aduena Molda tuas,
Nomen vbi paruæ, quam præterlaberis, vrbi
Campus & aſperitas fecit amara loci:
Ecce coloratum ſignans in nubibus arcum,
Nuncia Iunonis concipit iris aquas:
Carceribus clauſos emittit & Aeolus auſtros,
Crebraq; cum tonitru fulgura ventus agit.
Me fera tempeſtas & cœli compulit imber,
Ruſtica vicinæ tecta ſubire caſæ.
Liminis horrebant atri fuligine poſtes:
Ceſpite gramineo ſtabat operta domus.
Excipiens madidis me veſtibus exuit hoſpes,
Datq; fatigato pabula iuſſus equo.
Inſtructura dapes, riguo prope limen in horto,
Collectum folijs hoſpita truncat olus,

Atq;

Atq; cauam lymphis implet fluuialibus ollam:
Admouet hanc plenam caulibus illa foco.
Tempus erat ſaturæ redeunt cum nocte capellæ,
Balantemq; ſolent claudere ſepta gregem
Sternitur arte carens ac diuite menſa paratu,
Agricolæ qualis pauperis eſſe ſolet.
Siſtitur è rigida tornatus cantharus orno,
Illitus hercinia qui pice totus erat.
Hunc neq; Rhenanus Bacchi neq; Francicus humor,
Cum lupulo coctæ ſed liquor implet aquæ:
Nectare quo gelidam Boreæ ſpirantis ad Arcton,
Gens ſolet arentem pellere dura ſitim.
Deniq; poſt epulas amor vt compreſſus edendi,
Feſſaq; iam ſomno membra daturus eram:
In quibus ante focum ſopitus nocte quieui,
Straminibus vilem compoſuere torum.
Ortus mane nouo cum ſol dimouerat vmbras,
E ſtipulis ſurgens ingrediebar iter.
Mons procul oſtentat, Galilæi nomine Petri
Dictus, in excelſo condita fana iugo.
Hunc vbi tranſieram, fumantibus Halla ſalinis
Cernitur vrbs oculis facta propinqua meis:
Cuius amœna virent, vt Tempe, paſcua: cuius
Seminibus multis foetus abundat ager.
Huc vbi peruentum: conſulti tecta ſubibam,
Hoſpitio cuius non ſemel vſus eram.
Dulcia ſecuris hic ocia rebus agentem
Continuos tenuit me mora quinq; dies.

Inte-

Intereà templum memorabile, celſaq́; vidi
Principis egregium regia quicquid habet.
Scilicet ad Zephyri flatus, ſolemq́; cadentem,
Qua Sala contiguis mœnia ſtringit aquis:
Erigitur miris lapidum compagibus ædes,
Condidit Albertus nobile præſul opus,
Mauritio, diuæq́; ſacrum, quæ vidit adorans
Prima, reſurgentis numen & ora Dei,
Quando ſub hortorum cultoris imagine Chriſtus
Ad tumulum flenti, quid lachrymaris? ait:
Veſtibulum ſculptis inſignibus, area templi
Strata pauimento verſicolore nitet.
Cingitur aulæis paries feſtisq́; tapetis,
Quæ gens artifici Belgica pinxit acu:
In quibus elucent fuluo radiante metallo,
Aurea ſolerti ſtamina ducta manu.
Organa marmoreo pendent ſub fornicis arcu:
Aemula cantantes hæc imitantur aues,
Ac ſi vere nouo frondentibus abdita ſyluis,
Mille daret volucrum turba canora modos.
Hæc eadem raucis clangoribus æra tubarum,
Et referunt ſonitu tergora tenſa boum:
Tergora tenſa, quibus violentos incitat hoſtes,
Bellicus inſani Martis ad arma furor.
Quid loquar inſignes, ad quas collata, tabellas,
Cedat Apellæo picta colore Venus?
Nulla ſed effigies iſtic obſcœna, nec vllum
Spurca locum turpis mater amoris habet.

Ca-

Caſta repreſentat tabulis pictura, luerunt
Quàm graue ſupplicium turba profeſſa fidem.
Vtq́; pia natus de virgine rector Olympi,
Nos docuit ſummi iuſſa verenda patris:
Et datus ipſe neci, genus hoc mortale redemit,
Quòd voluit precium ſanguinis eſſe ſui.
Qualis & extremo venturus tempore mundi,
Ad nigra damnatos tartara Christus aget.
Nec quod imaginibus tantummodò lumina paſcit,
Diues in hunc vſum talia præſul habet:
Inde ſed vt diſcant exempla ſequenda piorum,
Hiſtoriæ ſi qui cognitione carent.
Eſt locus in medio quà iactat ad æthera templo
Sedulus alterna carmina voce chorus,
Ferrea cancellis ignobile ianua vulgus
Arcet, ibi magna conſpiciuntur opes.
Plenaq́; collucent rutilis altaria flammis,
Fulget vt aſtrorum lucidus igne polus.
Omne quod argentum fodit, omne quod eruit aurū
Tota metalliferis Pannonis ora iugis:
Quodq́; Tagus, diueſq́; vehit Pactolus: in vnum
Hoc ibi congeſtum dixeris eſſe locum.
Aurea nam gazas & opes æquantia Crœſi,
Stant ſuper extructis hîc ſimulachra tholis.
Carolus inſigni ſpectandus imagine Cæſar,
Hîc ſtat, & Auguſtum fert diadema comis,
Quale gerit, ſumma cum maieſtate verendus,
Regia principibus dicere iura ſolet:

Ful-

Fulgentemq; manu gladium, ſuſpenſaq; collo,
Aurea Phryxeæ vellera geſtat ouis.
Aſtat, & Albertus, qui talia ſumptibus emit,
Hac quibus eſt ædes condecorata: ſuis.
Grandibus hîc duplicem gemmis auroq; coronam,
Fronte gerit, dextra pontificale pedum.
Talibus innumeris ſimulachris ara repletur:
Ara ter excelſos quattuor alta gradus.
At ſuper effigies argenteus eminet omnes,
Qui patrio ritu ſtat cataphractus eques.
Mauritÿq; refert procero corpore formam,
Cuius clauſa pÿ militis oſſa tenet.
Multus & extremo lapis hic oriente petitus
Eſt, in Erythreis lectaq; gemma vadis,
Ictibus infragiles Adamantes, totq; Smaragdi,
Quot vix diue tuus Marce ſenatus habet.
Albaq; concharum precioſæ germina baccæ,
Eſt quibus ingentis forma rotunda globi.
Hæc ego defixis oculis dum ſingula luſtro,
Miror & immenſas obſtupefactus opes:
Principe magnificam pompam ducente ſacrorum,
Tympana cum lituis mota dedere ſonos.
Feſtus agebatur, quo te paritura tonantem,
Edidit in lucem, virgo beata dies.
Longa ſacerdotum quà templum turba ſubibat,
Lato pandebat limite vulgus iter.
Ipſe ſub inſigni precioſis tegmine gemmis,
Ductus regali præſes honore fuit.

Intertexta, genus patrium trahit vnde, nitebant
Inclyta Marchiacæ ſigna videnda domus:
Terribiles aquilæ, formidandiq́ue Leones,
Et quos ſemiferos India Gryphas alit.
Magnanimos inter proceres, equitesq́ue ſecutos,
Quorum turba frequens ac populoſa fuit:
Principis orando qui ſumma negocia tractat,
Vir celebri dictus nomine Turcus erat:
Cuius ab ore, velut reſolati nubibus imbres,
Verba Periclæo culta lepôre fluunt.
Iſte mihi vacuum monſtrans ex ære ſepulchrum,
Hæc ea ſunt, dixit, quæ monimenta vides,
In quibus Antiſtes poſt vltima fata quieſcet,
Tunc vbi ventura morte ſolutus erit.
Digna ſacro tumbam ſententia præſule ſignat
Quæ, quòd vita breuis ſitq́ue caduca, docet:
Morte nec intereat virtus, quæ ſola perennis
Effugit extremi triſtia fata rogi.
Talia iuſſit enim, Viuit poſt funera virtus,
Grandibus inſcribi verba legenda notis.
Hæc vbi vidiſſem, culti ſacraria templi
Ingredior docto me comitante viro:
Pharmaca quo nemo miſcente peritius ægris
Pæonia medicas applicat arte manus.
Innumeros calices hîc aurea vaſaq́ue vidi,
Apta miniſterijs, vſibus apta pijs.
Ac plures chlamides gemmis auroq́ue rigentes,
Quàm quot luciferos integer annus habet.

Mol.

Mollia prætereo quæ Seres vellera quondam
Nêre, ſed Auſonides iam didicere nurus.
Nec refero tinctas concha Sidonide veſtes:
Nemo ſacerdotum quas numerare poteſt.
Æditu[us] decies centenis millibus auri
Æſtimat, hoc templum nobile quicquid habet.
At nihil in tantis opibus conſpectius ipſo
Præſule, rem ſacram dum faciebat, erat.
Is pia ſolenni ſeu carmina voce canebat,
Siue precabatur ſupplice voce Deum:
Omnes quotquot erant magnates, omne videres
Vulgus ad hunc oculos compoſuiſſe ſuos:
Nam quas principibus multis natura negauit,
Innumeras dotes corporis vnus habet.
Grandibus accedit facies Heroica membris,
Quæ vetus Heroum ſe genus eſſe probat:
Et patrijs magnum virtutibus æquat Achillem,
Egregia cuius laude ſuperbit aui.
Elucet pietas vultu: certiſſimus index
Vultus enim taciti pectoris eſſe ſolet.
Nulla patent oculis metuendi ſigna tyranni:
Mitior hoc vnquam principe nemo fuit.
Ipſe ſuos populos ſine vi, ſine cæde, gubernat:
Aſpera nec præfert laudibus arma togæ.
Huius adhuc ſemper ciuilia bella diremit
Cognitus in dubio tempore pacis amor.
Nec ſibi diuitias & auarus poſſidet aurum:
Largus habet promptas ad pia dona manus.

Fœ-

Fœlices ô Roma tuos omnesq́ futuros,
Auſonium quotquot nomen in orbe colunt:
Tempora triplicibus geſturus cincta coronis,
Si regat hic lacerum paſtor ouile Dei.
Quæ modò palantes ſine curatoribus errant,
Nullæ præda lupo deſtituentur oues.
Dura coërcebunt inclaſum vincula Ianum,
Ne triſti reſeret condita bella manu.
Aurea reſtituet ſolidam concordia pacem:
Priſcaq́ falciferi ſecula regis erunt.
At prope delubrum foſſis munita profundis
Arx ſtat, & aërium tollit in aſtra caput.
Bucchemerus erat qui me comitatus euntem,
Hanc quoq́ viſuri, nunquid eamus? ait.
Nec mora, feſtino me duxit in atria greſſu,
In foribus quorum picta tabella fuit,
Ambigua referens ipſius imagine vultus,
Qui regit immenſi Carolus orbis opes.
Per teres inſpicias niſi luminis orbe foramen,
Hanc ſimilem curuæ dixeris eſſe rati.
Quin etiam noſtris ignotam vidimus oris
Exiguam pennæ verſicoloris auem.
Hæc allata procul, Nabathæis venit ab Indis:
A pedibus, quibus eſt orba, vocatur Apus.
Ipſe gerit ſimili raras ex alite pennas
Thracius in coni vertice Turca ſui.
In medijs aulæ penetralibus, ænea moles,
Pyramidis factum ſurgit & inſtar opus:

Id ſeptena mouet reuolutis ſydera ſphæris,
Quæ vagus ambiguis curſibus error agit.
Talis erat ſtellas imitataq́; machina cælum,
Facta Syracuſij quæ fuit arte ſenis.
Quid memoranda tibi referam ſimulachra deorũ?
Quæ vetus artificum duxit in ære labor:
Et quibus exhibuit ſacrum rude vulgus honorem,
Mundus adhuc expers cùm pietatis erat.
Extrahit hærentem mœrens è vulnere ſpinam,
Indoluit fixum quæ Cytheræa pedem,
Tunc vbi purpureum roſa, quæ fuit alba, colorem
Duxit, Acidaliæ ſanguine tincta deæ.
Prompta pharetratus iaculatur tela Cupido:
Aegida cælatam Gorgone Pallas habet.
Thyrſifero pendent Lenæo fronte corymbi:
Mercurius loculis condita lucra gerit:
Amplexiq́; ligant ſpiris ingentibus angues,
Troia ſacerdotem Laocoonta tuum:
Iliacos intra muros arcemq́; locari,
Completum Danaïs qui prohibebat equum.
Aurea conſpicias nec non Idola, neparum,
Quæ leuis aut formam papilionis habent:
Aut imitantur aues, dapibus quæ Phinea fraudant:
Hæc Anthropophagûm gens ſimulachra colit.
Vidimus Arminij gladios enſesq́; vetuſtos,
Quintilio Varo quæ peperêre necem.
Deq́; rudi ſaxo factas lothoq́; ſecures,
Dura quibus nudum prælia vulgus init.

Bel-

Belliger extremo quod Iberus in orbe ſubegit,
Vltra gemmiferæ littora Taprobanes.
Ramus & Aſſyrij mihi monſtrabatur Amomi:
Longaq́; Niliaco canna reſecta lacu,
Dulcia producens quæ condimenta ciborum
Intus natiui ſemina mellis habet.
Tum quibus vnguntur magnorum corpora regum,
Pinguia Iudæo Balſama nata ſolo:
Exuuiaq́; leues auium, quibus India veſtit,
Membraq́; feruenti ſole peruſta tegit.
Et quæ proueniunt hybernis poma diebus,
Tempore quo nullas educat hortus opes.
Scilicet extremo cùm Bruma decembre reducit
Annua natalis tempora Chriſte tui:
Nudaq́; frigoribus pomaria Caurus adurit,
Aruaq́; candenti ſub niue tecta latent:
Qua vicina iacet lato Moguntia Rheno,
Fructus inſolito creſcere more ſolent.
Præterea clypeum cælatum mille lapillis
Vidimus, ipſe quibus nomina Turca dedit.
Is fuit Eoi geſtamen nobile regis,
Diues vbi Phariam Nilus inundat humum.
Nautilon & rarum ſub nauis imagine piſcem,
Qui ſecat æquoreas more triremis aquas:
Quaq́; gerunt inſtar pictarum roſtra volucrum,
Nata procelloſo monſtra ſtupenda mari.
Regis Amynthiadæ quid priſca numiſmata dicam,
Ac tua, cornigero qui Ioue natus eras?

Quíue figuratam curuo delphine tabellam?
Cuius tale lapis carmen adeſus habet:
Dedicat æquoreis ereptus Lutius vndis
Scæuola, Neptuno munera vota deo.
Eſt quoq; gemma, poteſt in qua depicta videri
Vrbs vetus, à Druſi coniuge dicta ducis,
Olim viſa fuit res mira, quòd eſſet Homeri
Ilias exiguo tegmine clauſa nucis.
Tanta ſed ingeniјs nunc eſt ſolertia noſtris,
Ampla quòd anguſtum mœnia claudit opus.
Deniq; ne pergam deſcribere ſingula, vidi
Conſpicuum tota quicquid in arce fuit.
Inde ſalutatos nos ad conuiuia duxit,
Clarus ab antiquo ſanguine natus eques:
Inclyta magnanimi quo regia principis vllum
Vix habet ingenio candidiore virum:
Quiq; minus doctos, & honeſtas oderit artes,
Ex equitum numero quas modò rarus amat.
Nam præferre ſolent virtutibus arma togatis,
Qui genus à magna nobilitate trahunt.
At iam regificis epulis cùm functus, & illic
Totos ipſe dies quinq; moratus eram:
Quadrupedis frenans iniectis ora lupatis,
Rurſus iter cogor, rurſus inire vias.
Pòſt vbi tranſieram Mauortis habentia nomen
Mœnia, velocis tergore vectus equi:
Diues opum ſera me Lipſia nocte recepit,
Lubricus humectat cuius Eliſter agros.

Hîc

Hic mihi tres fidos iunxit fortuna ſodales,
Euganeam mecum qui petiere ſcholam;
Aſſyrij regis gaudentem nomine Belum,
Ac te Minguitiæ gentis Eraſme decus:
Baldaſaremq́, vetus Syluani nomen habentem,
Cuius fida mihi pectora iunxit amor:
Cuius & Auſtriacis fortiſſima nuper in oris
Dextera Turcarum cognita ſtrage fuit:
Turrigeræ pugnans ad mœnia quando Viennæ,
Cæſaris in caſtris ære merebat eques.
Vſta ſed hinc poſtquam Neopyrgi mœnia flammis,
Irriguasq́, Salæ tranſieramus aquas:
Ingredimur populoſa tuas Erphordia portas,
Hîc vbi Tyrigetæ pinguia rura colunt.
Et quia deuexo caput inclinabat olympo
Phœbus, in hac noctis traximus vrbe moram.
Mane ſalutantes vatem conuenimus Heſſum,
Cuius vt eſt dextræ dextera iuncta meæ:
Laus erit Heſſe mihi, ſummum vidiſſe poëtam,
Atq́, tuam, dixi, me tetigiſſe manum:
Primus ab Aonio qui ſacras vertice muſas
Ducis in Arctoo ſubdita regna polo:
Quemq́, vehens amplis Germania laudibus effert,
Vt ſolet Andinum Mantua ferre ſenem.
Sic ego: ſic contrà doctiſſimus incipit Heſſus:
Heſſus Apollinei maxima fama chori.
Dulcis amicitiæ mihi mutua fœdera tecum,
Dum conceſſa mihi vita manebit: erunt,

Edita nam primùm tua quando poëmata legi,
Auſa loqui de te ſic mea muſa fuit:
Me niſi fama chori vatum vulgata fefellit,
Gloria Pieridum prima Sabinus erit.
Omnibus dcirco onnitere viribus hortor,
Vt ſis,iudicio qui potes eſſe meo.
Hæc vbi reſpondens Eobanus verba dediſſet,
Ocyus inceptum nos celeramus iter.
Vt procul à tergo lapidoſi flumen Hieræ,
Tyrigetum nobis vrbsq́; relicta fuit:
Ilicibus piceisq́; frequens ſtabulisq́; ferarum
Imus in Hercinium per iuga celſa nemus.
Huius ad ima cauæ ſubſidunt tartara valles,
Quas radijs nunquam Phœbus adire poteſt,
Siue rubeſcentis patefecerit ortus olympi,
Gemmea puniceis atria plena roſis:
Siue laborifero conſcenderit æthera curru,
Siue ſub Oceanum lumine pronus eat.
Per nemus antra colunt immanes vnguibus vrſi
Et loca ſunt multis plena latrocinijs.
Sæpè ſub arborea reperitur fronde viator,
Dextera prædonum quem dedit enſe neci:
Vermibus aut plenum taboq́; fluente cadauer,
Ilicis è ramo flebile pendet onus.
Huius vt emenſi per mille pericula ſyluæ,
Horribiles ſaltus denſaq́; luſtra ſumus:
Vitiferumq́; caua traiecimus arbore Mœnum,
Irriguas cuius Francia pòtat aquas:

Fran-

Francia quæ tribuit tibi nobile Gallia nomen,
Subdidit inuicta cum tua regna manu:
Venimus huc ſacro coniunx vbi diua ſepulchro
Cœlitis Henrici regis humata iacet.
Hæc veteri genuit claraq́; è ſtirpe creatum
Vrbs Camerariadum te Ioachime decus,
Cecropias æquat facundia cuius Athenas,
Argolicosq́; refert inclyta muſa ſonos.
Hic aliquot feſſi poſt tædia longa viarum,
Subſtitimus noctes, ſubſtitimusq́; dies.
Dulcibus intraui cultum radicibus hortum,
Quas alibi nuſquam Teutona gignit humus.
Luſtrauiq́; ſitas in apricis collibus arces,
Templaq́; frondoſis non inamœna iugis.
Hinc vndoſe tuam Pegneſe petiuimus vrbem,
Gens ſata quam forti Norica Marte colit.
Hæc ſibi congeſto circumdedit aggere muros,
Qui ſuperant moles vrbs Patauina tuas.
Ardua conſurgunt quadrato mœnia ſaxo,
Mœnia bellaci non capienda manu,
Tota licet Scythicas adducat Thracia vires,
Teutonibus diram ſæpè minata necem.
Amplas huius opes, excelſaq́; tecta referrem,
Ni cantata tuis verſibus Heſſe forent.
Splendida magnorum nam ſiue palatia regum,
Siue quis artifices, ſiue requirat opes:
Siue peregrinas merces, ac dona Canopi,
Quæ procul Aegæum per mare nauta vehit:

Non habet his vllam Germania mœnibus vrbem,
Tota nec Arctoo terra ſub axe, parem.
Nuper at intulerat canis Erigoneius agris
Peſtifero miſeram ciuibus igne luem.
Egrediens quocunq; pedem, quocunq; ferebam
Lumina, funeſtus nil niſi luctus erat.
Hîc affecta graui languebant corpora morbo,
Funeris extremam mox obitura diem:
Illic triſtis erat deplorabatq; parentem
Natus, & extinctum fœmina mœſta virum.
Me trepidum vitæ diſcrimine luridus horror
Occupat, & gelidus concutit oſſa tremor.
Namq; ibi correptus violenta peſte timebam,
Hoſpes in ignota ne tumularer humo.
Nec pauidos tenuit minus anxia cura ſodales,
E quibus attonito pectore Belus ait;
Hinc procul, ô procul hinc, dum veſcimur ætheris aura:
Dum ſumus incolumes, arripiamus iter:
Vtile paruimus ſocio rectumq; monenti,
Peſte acrem nobis incutiente metum.
Iamq; dies alterq; dies iterauerat ortus,
Pulſaq; bis gelidæ ſydera noctis erant:
Huc Pegneſe tua cùm venimus vrbe fugati,
Sunt vbi Danubij mœnia iuncta vadis,
Suſceptura mouet quoties Germania bellum,
Inq; Getas ſæuo concita Marte fremit,
Arbiter imperij ſolet hîc luſtrare cohortes,
Vſibus armorum conueniente loco.

Danubij verò poſtquam traiecimus amnem,
Amnis in Euxinum qui mare fertur aquis:
Vindelicæ portas & celſa ſubiuimus vrbis
Quæ vetus Auguſti mœnia nomen habent.
Hîc nitidas auro, pictasq́; coloribus ædes,
Ac ſolido tectas vidimus ære domos.
Regia quæ poſſint æquare palatia Romæ,
Hinc aliquis magnas æſtimet vrbis opes.
Nec formoſa tibi dubitem conferre puellas
Tyndari, Vindelicæ quas peperêre nurus:
Summus Agenoreæ pro virgine Iuppiter optet
Has, magis & rapta Gnoſide Bacchus amet.
Ignea ſydereis contendunt lumina ſtellis:
Purpureas vincunt ora colore roſas.
Collatum flauis hebetatur crinibus aurum:
Scythoniam ſuperant candida colla niuem.
Tanta puellares commendat gratia formas:
Tantus ineſt caſtis virginibusq́; decor.
At nouus his quando ſuccedit mœnibus hoſpes,
Qui genus à priſcis nobile ducit auis:
Aut quicunq; caput per honeſtas extulit artes,
Principis aut aliquod nomine munus obit:
Hoſpes vt aduentum primoribus indicet vrbis,
Legibus ædiles conſtituêre ſuis.
Ergò ſalutatos cùm nos exceperat hoſpes,
Sanguine quo nati ſimus, & vnde, rogat.
Audit vbi claris nos eſſe parentibus ortos,
Conſulibus quales ſimus & vnde, refert.

Ad nos continuò miſsis de more Senatus
Vina ſatellitibus multa ferenda dedit.
Duximus ad mediam læti conuiuia noctem,
Siccaq́ perluimus pectora noſtra mero.
Clara rubeſcentis patefecerat atria cæli,
Quadrijuges iungit quæ dea lucis equos:
Hinc, Lycus vndoſo qua gurgite fertur, ad Alpes
Tendimus æquantes nubila ſumma iugis:
De quibus in præceps tantum vallesq́ ſub imas,
Ardua ſuſpectus quantus ad aſtra, patet.
Grando cacuminibus nixq́ indurata recumbit,
Semper in his acri frigore ſæuit hyems:
Atq́ reſoluuntur nimbi, cauriq́ furentes
Importuna nigro turbine bella gerunt:
Auulſasq́ ferunt ornos & fragmina montis,
Fragmina quæ tanto lapſa fragore cadunt,
Ac ſi vaſta ruat ſublimis machina cœli:
Attulit incautis ſæpè ruina necem.
Sæpè viatores æſtiuis menſibus illic,
Gorgone ceu viſa diriguère gelu:
Sæpe per anguſtas fauces oppreſſit euntes,
Labentis moles conglomerata niuis.
Nec minus innumeri decurrunt Alpibus amnes,
Grandia qui rapido vortice ſaxa rotant,
Quaq́ volutatur per adeſas ſpumea cautes,
Proruit inſani gurgitis vnda vias.
Exhalant nebulas imæ fumosq́ cauernæ,
Hi loca cærulei nubibus apta petunt:

Pro-

Protinus inq; niues abeunt imbreſq; ſoluti,
Aërij montis cùm tetigêre iugum:
Aut ſaliente mouent cum grandine fulminis ignes,
Icta repercuſſis Alpibus aura fremit.
Hos igitur montes altoq; minantia cœlo
Saxa, fatigatis dum peragramus equis:
Indurata genis mihi ſtiria ſæpè pependit,
Algenteſq; gelu diriguêre pedes.
Vicimus interdum mordentia frigora curſu,
Et tepido calidas fecimus ore manus.
At pede calcanti duras mihi ſæpè pruinas
Orta ſub alliſa puſtula calce fuit.
Iamq; tenebamus, qua ſpumifer æſtuat Oenus,
Ardua carpentes ſub iuga montis iter,
Cuius in abrupto per noctem vertice Cæſar,
Diue tuus quondam Carole ſedit auus:
Syluestres quando capreas damaſq; bicornes
Auſus in aëria figere rupe fuit:
Culmen & aſcendit iuuenis temerarius, vnde
Cùm vellet potuit non reuocare gradum.
Inde Tridentinæ portas intrauimus vrbis:
Hoſpita nos illic excipiebat anus,
Quæ iam facta licet rugoſa ſenilibus annis
Eſſet, adhuc ſcortum Thaide peius erat.
Hæc ad amatorem veniebat adultera noctu,
Contemerare ſui coniugis auſa torum.
Atq; ita, neſcio quò diſceſſit ab vrbe profectus,
Vir meus, ante diem non rediturus: ait.

Dum locus ergo datúr, cupidusq́; occaſio furtis:
Præbeat hac nobis gaudia nocte Venus.
Dixerat, ingreditur thalamos, vltroq́; ſequentem
Turpis amatorem duxit amica ſuum.
At ſimul in Venerem, ſomnosq́; fuere ſoluti,
Criminis exigitur vindice pœna Deo.
Vir procul à laribus quem diſceſſiſſe putabant,
Tecta gradu ſtrepitum non faciente ſubit.
Vidit vt ingreſſus temerati crimina lecti,
Crimina cordato non patienda viro:
Intumuit iuſtaq́; fremens expalluit ira;
Vltrici gladium corripuitq́; manu.
Conſcia mens ſcelerum formidine terruit ambos:
Attoniti gelido ſtantq́; pauentq́; metu,
Iratumq́; virum precio precibusq́; fatigant:
Cum precio vanas reſpuit ille preces,
Fulmineoq́; petens meretricia pectora ferro,
Perforat infidæ coniugis enſe latus,
At ſe præcipitem dedit ex bipatente feneſtra,
Legitimi thalami qui violator erat.
Fugerat elapſus metuendi tela mariti,
Sed non iudicium fugerat ipſe Dei.
Nam loca nocturnis tenebris dum cæca pererrat,
In puteum fato mortis agente cadit.
Sic vbi præterijt vitata monſtra charybdis,
In Scyllam ſtolidus nauita tendit iter.
Reddidit hîc animam ſontem, culpamq́; piauit:
Talia ſed fatus, cùm moreretur, ait:

Heu

Heu mihi, quanta fero proiecti damna pudoris:
Res eſt inſani plena furoris amor:
Alterius violare torum qui coniugis audes,
Hoc ſcelus exemplo diſce cauere meo.
His actis: poſtquam nox importuna receſſit
Lucifero clarum iam retegente diem,
Nos iter ingreſſos rapidorum curſus equorum,
Huc, Atheſis lato qua fluit amne: tulit
Cuius, vbi bello Veneti petiere Tridentum,
Perdidit ad flauas ſigna Robertus aquas,
Stirpe Seuerina natus: vitamq́; ſub vndis
Edidit, effuſus cùm raperetur equo.
Sunt ibi ruricolæ, magni quibus vberis inſtar,
Crebra ſub inflato gutture ſtruma tumet:
E pulmone priùs niſi ſuſpiratibus hauſtis,
Nulla locuturi promere verba queunt.
Trans Atheſim, ſeſe demittunt molliter Alpes,
Diues & Italiæ terra pateſcit agris.
Mitius hîc rarò triſtatur frigore cælum,
Læta bis hîc grauidis frugibus arua virent.
Nec denſæ ſterili ſurgunt hîc arbore ſyluæ,
Quales Mœnalio terra ſub axe gerit:
Sed pingues oleæ, ſed onuſtæ vitibus vlmi,
Altaq́; fatidico laurus amata Deo:
Citrus & amittit quæ nunquam frondis honorem,
Et prope labentes conſita ficus aquas:
Malaq́; dependent curuatis punica ramis,
Lucida ſub quorum cortice grana rubent.

Salue

Salue terra ferax Cereris dulciſq; Lyëi,
Omnibus optatis terra referta bonis.
Non ager Aegypti pinguiſsimus vbere glebæ,
Laudibus aut certent rura beata tuis:
Quamuis illa quidem natas ſine ſemine fruges,
Agricola bobus rus nec arante ferant.
Salue magna parens doctorum altrixq; virorum,
Exculti qua nos erudiente ſumus.
Induit ingenuos per te Germania mores,
Doctrinaq; tuis fontibus hauſit opes.
Quàm te magnificæ decorant vrbeſq; potentes?
Maius terra tuis vrbibus ecquid habet?
At poſtquam gelidas à tergo liquimus Alpes,
Contigimus patriam docte Catulle tuam.
Vaſta Gigantei moles hîc Amphitheatri
Cernitur annoſo facta caduca ſitu:
In quo magnanimus pugnas Gothus edidit olim
Italiæ præſes cum Theodricus erat:
Contudit audaci ſæuos qui Marte Tyrannos,
Bella quibus cordi, pax odioſa fuit.
Vt Vicentinam nos inde petiuimus vrbem,
Conſcia funeſtæ quæ loca cladis habet,
Cernere cura fuit veteris veſtigia pugnæ:
Squalidus hic multis oſsibus albet ager.
Teutonicus miles qui Cæſaris arma ſecutus
Italiam ferro iam populatus erat,
Verſa Tridentinas cum ſigna referret ad Alpes
Iuſſus ab Euganeo caſtra mouere ſolo:

Liui-

Liuiades magno fortiſſimus agmine ductor,
Hoſtibus occluſum præpediebat iter.
Eſſe putabatur non anceps alea Martis,
Inferior numero Cæſarianus erat.
Læta ſed in triſtes abierunt gaudia luctus:
Dura graui Venetus vulnera clade tulit.
Vrbs procul inde iacet crudeli diruta bello,
Adriacus pelago qua premit arua ſinus:
Meſtrum nomen habet, cultiſſima mœnibus olim
Diuitibusq́; potens ciuibus illa fuit.
Nunc ibi rara tenent inopes magalia nautæ,
Vela per æquoreas qui moderantur aquas.
Hinc ab arenoſo ſoluentes littore cymbam,
Carpimus inſuetas per vada ſalſa vias.
Inſurgunt nautæ remis, & cœrula verrunt:
Vncta per impulſas labitur arbor aquas.
Apparent Venetæ medijs in fluctibus arces:
Vt quas Aegeum, Cyclades, æquor habet.
Quas vbi vidiſſem, nullos ego mœnia, dixi,
Arbitror hæc homines, ſed poſuiſſe deos.
Ambit aquis Nereus pro muro ſpumeus vrbem,
Fluctibus eſt omni tutus ab hoſte locus.
Nec minus excelſis in mœnibus æſtuat æquor:
Per medias agitur remige cymba vias.
Arcibus æquandas vrbs inclyta continet ædes:
Principis eſt magni regia quæq́; domus.
Plenaq́; diuitijs ſunt atria, cernitur illic
Quicquid habet tellus, æquora quicquid habent,

Quid

Quid magnos referam proceres, amplumq́, ſenatũ?
Mille Senatorum continet ordo patres,
Splendida regali quos purpura veſtit amictu:
Talis priſca tuus Roma ſenatus erat.
Templa ſed in primis diuiq́, palatia Marci,
Ingentes Venetum teſtificantur opes,
Condita Tænario quæ marmore, plenaq́, gemmis
Intus & aurato fornice culta nitent.
Quattuor alta tenent ſummi faſtigia templi,
Qui ſimiles viuis conſpiciuntur equi.
Maximus imperij iurauerat arbiter olim,
Infeſtus Venetis qui Fridericus erat:
Quod foret è templo ſtabulum facturus equorum,
Adriaci caperet mœnia quando maris.
Acre ſed in longos bellum cùm duceret annos,
Nec Venetæ poſſet frangere gentis opes:
Hos ibi iuſſit equos in ſummo culmine poni,
Nominis extarent vt monumenta ſui.
Area lata patet Marci contermina templo,
Illo turba frequens itq́, reditq́, loco.
Non audita mihi quæ viſa nec antè fuerunt,
His oculis & ſunt auribus hauſta meis,
Marmarides ibi Pſyllus erat, quem poſſe ferebant
Neſcio qua nocuum tollere virus ope:
Ille venenatam ſuſpenderat aſpida collo,
Et lambenda nigris anguibus ora dabat.
Hîc quoq́, cantabat Venetæ primordia gentis
Thuſcus ad auratam Muſicus ore chelyn.

Ilia-

Iliacis olim referebat ſedibus actos.
Adriacum Venetos incoluiſſe ſinum:
In mediijsq́ nouam fundaſſe paludibus vrbem,
Cùm ferus Illiricis Attila terror erat,
At quæſiſſe diu victum prædantibus hamis
Humida conſuetos ducere lina manu:
Regna Lyburnorum, fœcundaq́ rura Timaui,
Publica res armis donec adepta fuit:
Atq́ triumphatas Inſubribus abſtulit vrbes:
Talia tantabat dulcibus ille modis.
Hinc ad Græcorum nos vexit nauta ſacellum,
Fortè dies illo tempore feſtus erat:
Argolicos ritus cognoſcere, meq́ iuuabat
Mutua tum Graio præſule verba loqui,
Sciſcitor vnius cur tantum Græcia diui,
Cætera diuorum nec ſimulachra colat:
Torquet in immanem qui tela Georgius hydram
Solus habet ſacra pictus in æde locum.
Ad mea non durus reſpondit verba ſacerdos:
Atq́ ita, picturà te latet vſus, ait,
Non veſtro colitur nobis pro numine ritu,
Officij Reges admonet acer eques.
Ipſe ſed haud temerè cataphractus pingitur heros,
Conuenit armatas principis eſſe manus:
Vt cum bella tument, ſæuitq́ licentia ferri,
Vltor ab iniuſto protegat hoſte ſuos.
Impia vindicibus rex arma coërceat armis,
Iuſtaq́ pro populi bella ſalute gerat.

Tunc ego cur rigidi non ergo Georgius, inquam,
Militis, at nomen rura colentis habet?
Ille refert, pax arua colit, pacemq́ tuetur
Dulcia qui læti commoda ruris amat:
Hîcq́ viget mitis pietas, vbi curuus aratri
Vomer & auguſta pace fruuntur agri.
At fera ſecuram rumpunt vbi bella quietem
Martia ſoluuntur corda timore Dei:
Proq́ ligone trucis fert militis arma colonus,
Aſper & incultus ſentibus horret ager.
Ergo pij ſeruent reges vt fœdera pacis,
Agricolæ gaudet nomine fortis eques.
Dic age cur figit ſed cuſpide terga Draconis?
Duraq́ pro molli virgine bella gerit?
Hæc afflicta malis, ait, eſt Eccleſia Chriſti,
Horridus immani quam petit ore Draco.
Bellua ſignificat diuini nominis hoſtem,
Quo ſacra relligio, damna nocente facit:
Qualis, peſtiferæ teterrimus hæreſis autor
Arrius, Eumenidum ſanguine cretus, erat.
Qualis & eſt, ſanctum qui nomen acynace Chriſti,
Perſequitur, toruo ſæuior angue Getes.
Hos decet à magno configi rege Dracones:
Regibus eſt Chriſti nanq́ tuendus honor.
Hactenus hæc: nobis de ritibus inde ſacrorum
Facta per alternas verba fuêre vices.
Quos tamen, aiebam, ſacros eccleſia ritus,
Veſtra quid antiquì Græcia moris habet?

Ille

Ille ſacramentum ſpecie ſub vtraq; miniſtro,
    Cœna redemptoris cùm celebratur, ait.
Cætera conueniunt cum ritibus omnia veſtris,
    Eſt niſi quòd lecto fœmina iuncta meo.
Quiſq; ſui gaudet thalami conſorte ſacerdos,
    Vlla mihi non ſunt iura negata tori.
Vnica ſed poſtquam fato conceſſerit vxor,
    Tunc mihi legitimus non iteratur Hymen.
Plura locuturo, peregrinus ab Hellade ciuis
    Neſcio de triſti quæ noua clade refert.
Interea nauem conſcendere iuſſus, abibam:
    Hoſpite ſermones impediente meos.
Deniq;, dum totam vagus omnia luſtro per vrbem,
    Me videt, ac ſaluum Bomphius eſſe iubet.
Is non exiguo mihi conſuetudinis vſu
    Bomphius Auguſtæ cognitus antè fuit:
Tunc vbi de magnis cum Cæſare rebus agebat,
    Ad quem Pontificis nomine miſſus erat.
Ipſe mihi ſummum quo teſtaretur amorem,
    Carpere me ſecum remige iuſſit iter:
Meq; diſerte tuas Hieronyme duxit in ædes,
    Nomen Alexandro cui ſacra Muſa dedit:
Plurima qui calles variæ diſcrimina linguæ,
    Et Clario plenum numine pectus habes:
Sacrarumq; datas rerum moderaris habenas,
    Poſt ipſum Veneta ſummus in orbe Ducem.
Hic per Apollineas mihi ianua protinus artes
    Eſſet amicitiæ cùm patefacta tuæ:

Tu mea cingebas Daphneïde tempora lauro,
Inuitoq́ mihi nomen equeſtre dabas.
At iam Phœbus erat permenſus virginis aſtrum:
Libraq́ ſolares excipiebat equos:
Cùm nos inde caua trabe rurſus arauimus æquor,
Plenaq́ ſpumantem vela tulêre ratem:
Huc vbi Medoacus pelago ſe turbidus infert,
Adriacasq́ ſuo flumine miſcet aquas.
Nobis Euganeæ tum ſuccedentibus vrbi
Eſt iter & longæ meta peracta viæ.
Hîc firmata nouo cinguntur mœnia vallo,
Splendida portarum marmore clauſtra nitent:
Nec minus Euganei ſunt propugnacula muri
Vaſta, Semiramiæ quàm Babylonis erant.
Multa vetuſtatis, clarorum multa virorum
Omnibus hîc extant & monimenta locis.
Quattuor hos tumuli ſcriptos in marmore verſus
Troius Euganeæ conditor vrbis habet:
Inclytus Antenor, poſt eruta Pergama bello,
Tranſtulit huc Henetûm, Dardanidûmq́ fugas:
Expulit Euganeos, Patauinam condidit vrbem,
Quem tegit hîc humili marmore cæſa domus.
Artibus at claros homines opibusq́ potentes
Protinus ardebam conciliare mihi.
Hæc igitur miſi facundo carmina Bembo,
Quo non eſt Latio maius in orbe decus.
Quid ferat ignotæ miraris epiſtola dextræ,
Redditur imparibus, quæ tibi ſcripta modis.

Hanc

Hanc tibi qui mittit, doctiſſime Bembe, Sabinus
Optat amicitiæ fœdus inire tuæ.
Nam procul huc patrijs, vbi nunc agit hoſpes, ab oris
Quòd graue difficili tempore fecit iter,
Non, vt perſpiciat longinquas aduena terras,
Cauſa fuit: quamuis hæc quoq; cauſa fuit.
Sed magis ipſe tuum nomen famamq́; ſecutus
Venit: vt optato poſſit amore frui,
Cuius in extremis Germania finibus audit
Docta Lycaonio ſcripta ſub axe legi:
Laudat & eloquium, viuo Cicerone probaſſet
Ipſa quod in medio Roma diſerta foro.
Ergò prius ſi quem dignatus amore fuiſti,
Qui tibi non vſu cognitus antè fuit:
Se petit ipſe tuos vt quemlibet inter amicos,
Ex animo cùm te diligat: eſſe velis.
Attica Romuleæ Bembus facundia linguæ,
Vt digitis legit verba notata meis,
Omne ſuum ſtudium mihi pollicitusq́; fauorem,
Dixit, amicorum tu mihi ſummus eris.
Nec, ſchola quo gaudet celebri Patauina magiſtro,
Lazarus obſcurè me Bonamicus amat.
Me Baptiſta ſuos Egnatius inter amicos,
Præditus & ſumma vir pietate colit.
Se mihi quin etiam peramanter Cœlius offert,
Cœlius Aonia clarus in arte ſenex:
Imparibus numeris qui culto digna Tibullo,
Dignaq́; Peligno carmina vate canit.

Nec iuuenis, quo ſe domus Augerſpergia iactat,
Me ſecus, Euryalum Niſus vt alter: amat,
Cuius Cæſareo pro nomine fortibus auſis
Bella ſub his geſſit mœnibus acer auus.
Inter at hæc, quæ viſa mihi ſunt digna relatu,
Carmine fons debet nomen habere meo:
Qui calidis hîc fumat aquis, vbi crebra ſub alto
Euganei frondet montis oliua iugo.
Eſt Apono nomen fonti: præſentius ægris
Nil, vbi Pœoniæ deficit artis opus.
Corporis hæc reparat mortalibus vnda vigorem,
Attulit acre quibus noxia damna gelu,
Cuius iners ſtomachus ſumptas malè digerit eſcas,
Languidus hæc intret balnea ſanus erit.
Quæ ſteriles vteri non reddunt pignora nuptæ,
Concipiunt Aponi quando lauantur aquis.
Fœlices nimium fortunatosq́; colonos,
Proluit hic quorum feruidus humor agros,
Non aliquo miſcent ægroti pocula ſucco,
Vlla Machaonia damna vel arte leuant:
Simplicibus curantur aquis, obnoxia morbo
Cùm grauis illorum corpora languor habet.
Pandite, noſtis enim Libethrides omnia diuæ,
Vnde ſit hæc medicæ vena ſalubris aquæ.
Minciada ſacro celebratus carmine vatis
Tros fuit, Iaſides dictus Iapis erat.
Noſſet vt herbarum vires, vſumq́; medendi,
Numinis ille tui cultor Apollo fuit:

Troianumq́; ducem curauit, arundinis ictu
Saucius a Rutulo vulnus vt hoſte tulit
Mœſta ſed arceret cùm ſacta potentibus herbis
Euganei peragrans hoſpita rura ſoli:
Iuppiter indignans Parcarum fila teneri,
Torſit in illius tela triſulca caput.
Cõdidit extinctum Phœbus, Nymphaq́; perennem
Quo ſitus eſt venam ſuppoſuêre loco.
Feruidus emanat fons pumice, vimq́; medendi
Seruat adhuc: Aponus ſed modò nomen habet.
Hæc apud Euganeos in amœno luſimus horto,
Cantantes liquidis vocibus inter aues:
Plurima frondet vbi Peneæ virginis arbor,
Ac tuus humectat Bembe Pluicus agros.
Dulcia ſi vacuum conceſſerit ocia tempus,
Nos id quod ſupereſt conficiemus iter.
Aequantem ſummis iuga nubibus Apennium,
Muſa per abruptas ſcandet itura vias:
Ad vada Sebethi, viridiſq́; cacumina Gauri
Tendet, & ad flauas hinc Anienis aquas.
Nunc pertæſa viæ pedibus procedere claudus
Ex Antenorea longius vrbe nequit.

IACOBI MYCILLI Hodœporicon.

Fortunamq́; viæ quæris, tempuſq́; Philippe
Qualibus & ventis noſtra ſit vſa ratis.

Non ego ſum tanti, nec tali dignus honore,
Vt referat nugas Pieris vlla meas,
Nec mihi tam demens innata ſuperbia, nolit
Quæ mea perpetua nomina nocte premi.
Attamen iſta viris ſoluenda eſt gratia doctis
Qui pars incepti magna fuere mei.
Nec meritò quiſquam fraudari nomine debet,
Si qua venit meritis gloria, digna venit.
Ipſe pater ſtolidi Phæacum prandia regis
Hortorumq́; leues laudat, Homerus, opes
Et nos ſi doctos verſu celebremus amicos
Inueniat nullam noſtra Thalia fidem?
Quare, age, principium noſtri, finemq́; laboris
Accipe vt arbitrio ſtent mea facta tuo.
Abs te cùm gelidum digreſſi liquimus Albin
Et pars inceptæ quanta peracta viæ eſt.
Mutauit liquidas ferus illicò Iuppiter auras
Et cœlum fuſcis nubibus omne tegit.
Structa ſolo, tenuis ſtant vrbis tecta, paluſtri
Parua quidem, veſtris ſed tamen apta iocis.
Quò ſe ferre ſolet ſtudijs defeſſa iuuentus
Si qua cupit curas exonerare graues.
Aut cùm, qui patrios repetit, deducitur agros,
Quò capiat primæ ſigna ſecunda viæ,
Ceu quoq; tunc noſtros comitata eſt ſedula greſſus
Illa cohors veteris teſtis amicitiæ.
Vlterior ſylua eſt, cui vulgò nomen Ericæ,
Saxonas à Myſo diuidit illa ſolo.

Huc

Huc ſimul ac ventum eſt, nos ingens obruit imber
Aduerſo madidi pulſus ab orbe noti.
Fit ſonitus ſyluis, crepitantq́ cadentibus vndis
Et grauibus tellus ima fatiſcit aquis,
Nec modus apparet, ſed nubila plura liqueſcunt,
Inq́ magis cœlum ſoluitur inq́ magis.
Aeolus inſanos antris emiſerat Auſtros,
Hi cauſſam pluuiæ, materiamq́ dabant.
Nuſquam diuerti, nuſquam fugiſſe licebat,
Quacunq́ aſpiceres ventus & imber erant.
Ipſe etiam ſaltus decuſſas duplicat vndas,
Et Iouis exhauſti ſuſcipit ille vicem.
Dixiſſes iterum periturum fluctibus orbem,
Tempora ſic credo Deucalionis erant.
Nos humiles animæ pluuiaq́ geluq́ rigentes
Nequicquam obijcimus facta maligna Ioui,
Ac patimur tota contraria ſydera luce
Donec anhelantes ſol religauit equos.
Sub noctem hoſpitio madidos Dyboa recepit,
Haud equidem lauto, ſed tamen hoſpitio.
Hic primùm varijs cœpi mœroribus angi,
Hei mihi qualis in hoc pectore torpor erat.
Cùm triſteis abitus repeto, ſociosq́ relictos,
Quodq́ mea vita te cariturus eam.
Ac veluti tenero mœret ſpoliata iuuenco
Quæ iacet in ripis bucula Rhene tuis,
Nec, quamuis ſera, curat decedere nocte,
Pabula nec carpit, nec leuat ore ſitim:

Sic mihi tunc grauido, neq; pocula ſumpta, dolore,
Nec ſumptus potuit corda leuare cibus.
Sed tacitus ſedeo, tacitus mea fata reuoluo,
Quæ rebus veniunt ſemper acerba meis.
Crebraq; per varios duco ſuſpiria luctus,
Imaq; pertingens occupat oſſa dolor.
Donec languenteis agitanti pectore curas,
Humidus oppreſſit lumina feſſa ſopor.
Hoc mihi prima dies exacta eſt omine, cuius
Altera pars imbres, altera mœror erat.
Poſtera iungebat roſeos aurora iugales,
Cumq; noua rutilat purior aura die,
Surgimus, & poſito properamus cœpta ſopore,
Atq; alacres facimus lata per arua viam.
Retrò abeunt ſyluæ, retro Dyboa, fugitq;
Conſueta immenſis creſcere Mulda vadis.
Oppoſita campi cernuntur parte iacentes,
Atq; arces circum, nobiliumq; domus.
Iam medium Phœbus curſu tendebat ad axem,
Curſus cùm noſter penè peractus erat.
Ecce procul celſas oſtendit Lipſia turreis,
Structaq; ſolerti mœnia lata manu.
Hanc ego quo propius vidi, propiusq; ſubiui,
Obſtupui miris hoc magis ipſe modis.
Hinc auro latè fulgebant omnia fuluo,
Illinc tangebant culmina ſumma polos.
Limina ſpirabant tanquam de marmore ducta,
Siue Chariſte tuo, Tænare ſiue tuo.

Pi-

Pictaq́; priſcorum referebant atria luſus,
Antiopæ Satyros, & Ganymedis aues.
Raptamq́; Inachidem, mentitumq́; Amphitryona,
Muneraq́; anguſtum fuſa per impluuium.
Et quæcunq; ſolent oculos retinere ſtupenteis,
Pingebant altas ludicra mille domos.
Ventum erat in mediam qua ſemita panditur vrbẽ,
Qua cingunt latum regia tecta forum.
Hîc verò omnijugas ſpectaſſes ordine merces,
Quas vel habet Ganges, quas vel Hiberus habet.
Fortè dies aderant, quibus vndiq; multa quotannis
Confluit & varias turba reportat opes.
Ordinibus ſtabant conſtructa mapalia ſeptem,
Quàm patet ad fines area longa ſuos.
Hac proſtant fuſco conchylia capta canopo,
Parte alia Tyriæ puniceæq́; togæ.
Hac piper & molli ſpirantia cinnama ligno,
Vectaq́; per longum thura Sabæa fretum.
Hac caſia, & frutices Arabum et Cinyreia myrrha,
Solaq́; Iudæo balſama nata ſolo.
Memnoniæq́; grues, & priſci Sylphia Batti,
Monſtraq́; ſub ſtagnis edita Niliacis.
Quo non aggreditur, quid nõ amor audet habendi,
Quíue intentatum dira cupido ſinit?
Perfodimus terras, manes penetramus ad imos,
Penè etiam ſtygijs bella mouemus aquis.
Non nos vndoſi mouet inclementia ponti,
Nullaq́; Symplegas, nullaq́; Scylla tenet.

Non iras Boreæ, ſæuumq́; timeſcimus Auſtrum,
Inſani ferimur qua via cunq; patet.
Quin etiam niſi fata negent, nec ſydera tuta,
Tutaq́; nec coniunx regia Iuno foret,
Omnia tentamus, contendimus vltima quæq;,
Tanta fames cæcos, tanta cupido trahit.
At non Saturni fiebant talia ſeclo
Hæc mala creuerunt cum Iouis imperio,
Ille etiam morbos genuit, triſtemq́; ſenectam,
Et longas hyemes, horrificumq́; gelu.
Ille truces gladios reperit, tormentaq́; dira,
Commiſitq́; auidas primus ad arma manus.
Ille ſecurigeros inuenit primus honores,
Et latos clauos patriciasq́; togas.
Idem diuitias ima tellure refoſſas
Cauſſam bellorum materiamq́; dedit.
Sed nos dum poſitis ſpectamus ſingula curis,
Defunctus curſu clauſit Apollo diem.
Flectimus hinc greſſus & ad hoſpita tecta redimus,
Soluitur hic dulci nox animusq́; mero.
Proxima lux iterum roſeo proceſſerat ortu,
Aureus immenſum ſol relegebat iter.
At non noſter equus, non debita plauſtra reguntur,
Nec facimus cœptæ munera cœpta viæ.
Vectura ſiquidem dum ſpes deludit hianteis,
Lipſia tres totos nos tenet vna dies.
Quanquã ea tum curſus pulchrè eſt iactura reſarta
Et rediјt magno fœnore parua mora.

Nam

Nam poſt octobreis quæ lux erat altera Nonas
    Quartaq; quam veſtri liquimus arua ſoli.
Hac nos accepit lautis epuliſq; iociſq;
    Huguicus priſcis clarus imaginibus.
Ille tibi ſtudijs per multos cognitus annos
    Et quondam veſtræ pars quota amicitiæ?
Hic tibi quid memorem luxus, & ſplendida regna?
    Omnia munditiès, omnia cultus erat.
Sublimi ſtabat quoddam conclaue receſſu,
    Qua domus obiectas aſpicit alta vias.
Hic, poſtquã decimam ꝓperãs ſol fecerat vmbram,
    Axeq; ſub medio iam peragebat iter:
Conueniunt, quotquot ſeruarat Lipſia doctos,
    Quiſquis vt à veteri clade ſuperſtes erat.
Hic aderat proles clariſsima Carolouici,
    Fata ſinant, gentis fama futura ſuæ:
Hic quidam Hercinijs heros oriundus ab oris,
    Heros muſarum dignus & ipſe modis.
Atq; alij quorum non ſunt mihi nomina nota
    Sed dicta & mores tunc placuere, boni.
Quos inter medius, tanquam formoſus Apollo,
    Ducebas doctum Comitiane chorum.
Iamq; ſalutatos exceperat hoſpes amicos,
    Collocat & pictis ordine quemq; thoris.
Depromunt famuli, ſculptis ſplendentia gemmis,
    Ac implent veteris pocula magna meri.
Expediunt alij Cererem, repetitaq; longo
    Ponitur omnijugis ordine menſa cibis.

Hic

Hic primùm Aeſopi patinas agnoſcere cœpi,
Et quales petulans dux Cleopatra dabat.
Credere ſi libeat, vel ſi componere dignum eſt,
Aeſopi cœnis non minor iſta fuit.
Sic epulis lectis, vario ſic omnia cultu
Splendebant, luxus regius omnis erat.
Vt citiùs, cunctas quam poſſim dicere formas,
Deficiant noſtros verba diesq́ modos.
Sedimus & fixo mirantibus omnia vultu,
E multis, dubium, quid peteremus, erat.
Ipſe ego nec menſæ tendebam brachia, nec me
Carpentem quiſquam vina dapeſue videt.
Sed mihi neſcio quò rapit admiratio mentem,
Quæ mihi pro noſtro nomine ſæpè venit.
Donec ab extrema quidam mihi parte coortus,
Hoſpes an ille fuit, neſcio, credo fuit.
Tollens immenſum, gemmis auroq́ reuinctum
Salue, ait, & pleno præbibit ore ſcyphum.
Siue quòd is noſtrum perſpexerat antè pudorem,
Seu quia tum præſens fortè ſubibat opus.
Ille etiam dictis ibi nos hortatur amicis,
Atq́ hilares animo præcipit eſſe bono.
Et iubet à reliquis alienos ducere curis
Tempora, & admoto corda leuare mero.
Sic inuitati placidis ſermonibus, illam
Lipſiacas lucem degimus inter opes.
Quæ ſimulatq́ abijt, poſitisq́ aurora tenebris,
Altera purpureas ſuſtulit orta comas:

Heu

Heu malè fruſtrati, dum nos auriga ſedentes
Deluſit, pedibus cœpimus ire viam.
Ille dies parui cuiuſdam ad mœnia caſtri
Nos tulit, huic lucrum nomina parua dedit.
Hîc etiam præter q̃ quod cœnauimus ægrè,
Iurgia potorum nos cubuiſſe vetant.
Sexta inde octobres quæ lux numeratur ad Idus
Prodit, & inceptas pergimus ire vias.
Atq; hinc digreſſis, niuea cui nomen ab arce eſt
Cernitur vrbs, digno principe digna domus.
Quam propè dum media defeſſi luce ſubimus,
Et ſumpto colimus languida membra cibo,
Mox iterum occiduas cùm ſol remearet ad vndas,
Nuburgi ambuſtas ſcandimus inde domos.
Fama eſt hanc quondam tectis fulſiſſe ſuperbis
Atq; vrbem veterum cuiq; fuiſſe parem,
Dum fortuna fuit, nec dum Deus ætheris altus
Iratus ſæuas intulit ipſe faces.
At nunc relliquias veteris ſpectare ruinæ,
Et flammis etiam nunc nigra tecta licet.
Huc igitur poſtquam ſub noctis venimus vmbras,
Excepit lauta nos bonus hoſpes ope.
Non deerat vinum Rhenano colle profectum,
Non Francum, aut patriæ quod dedit vua Salæ,
Præterea paucis ſpectata cibaria menſis,
Et quicquid feſſos exhilarare ſolet.
Fors etiam numero conuiuas obtulit æquo,
Atq; animi grata dexteritate pares.

Sic

Sic poſiti noctis multas exegimus horas,
Penſamusq́ mero tædia longa viæ.
Proxima purpureos iungens aurora iugales
Exit, & è ſummis lux venit orta iugis.
Linquimus excuſſo plumata cubilia ſomno,
Carpimus & cœptum, qua via ducit, iter.
Non procul hinc veteris remanent veſtigia portæ,
Templo nomen id eſt: terra propinqua Salæ.
Has olim ſedes Muſæ pietasq́ colebant,
Præmia dum ſtudijs iuſta fuere bonis.
Nunc malè, neſcio qua, fratres ignauia tentat,
Ingenuas artes quos didiciſſe pudet.
Ocia qui caſtis præponunt turpia Muſis,
Et miſcent quæſtu ſacra profana nouo:
Heu quò prouehimur, quantum mutamur ab illis
Hæc loca qui ſtudijs conſtituere pijs?
Qui voluere rudes animos, & corda iuuentæ
Excoli, & à ſtrepitu plebis abeſſe procul.
Hîc vbi nunc equitum turmæ ſtabulantur, & inter
Quæſitas domino luxuriantur opes.
At non hac Paulus, non hac Antonius arte
Quærebant vitæ tempora tuta ſuæ.
Corpore qui duros ſoliti tolerare labores,
Sæpè tulere ſitim, ſæpè tulere famem.
Illi etiam Stygijs conſtanti robore monſtris
Iuti corda Deo, conſeruere manus.
At nos quid facimus? qui longum ducimus æuum
Nequicquam, ingrati pondus inane ſoli.

Ergò etiam meriti luimus mala noſtra, Deoq́ʒ
Has tali pœnas pro pietate damus;
Forſan & illa dies veniet, cùm funditus omnis
Relligio, & ſuperûm concidet iſte metus.
Atqʒ aliquis ſpectans deſerti culmina tecti
Ridebit veterum vana miniſteria.
Has igitur greſſu poſtquam ſuperauimus oras,
Iamq́ʒ tenet medio Phœbus in axe viam;
Rara ſub anguſta ſpectamus mœnia valle,
Vrbs à prafracto nomina monte tenet.
Hic poſitis feſſi captamus prandia rebus,
Quaqʒ licet, ſolita membra leuamus ope.
Hic etiam acceſſit Leuca prognatus ab vrbe,
Ille meæ factus parsq́ʒ comesq́ʒ viæ.
Idem qui caſus mecum mox pertulit omnes,
Dum iuga ſyluoſi ſcandimus Hercinij.
Ergò vbi ad occiduos ſol iam properabat Iberos,
Oceani liquidas mox obiturus aquas.
Inde Budelſtadium, paruam deuenimus vrbem,
Sed gratam feſſis hoſpitis officio.
Namq́ʒ erat hoc totis nemo ſtudioſior oris
Rerum, quas vulgus pro pietate facit.
Acriter inſurgens ſi propugnare Lutherum,
Aut ſolam, velles, omnia poſſe fidem:
Aut ſi poſthabita monachorum cœlibe vita,
Connubio iungi non paterere greges;
Non ſecus ac ſi quod parum honeſtū eſt, vtile dicas,
Zenonis pueri protinus arma mouent.

Præcipuè tunc nullus erat clamore ſecundus,
Cùm vanas hominum tenderet eſſe vias.
Aut precium veteris rideret pingue cuculli,
Factaq́; nodoſo cingula funiculo.
Si ſineres viciſſe virum, largiſſimus vnus
Non ceſſante dabat vina dapesq́; manu.
Atq; id nos longa iam conſuetudine docti,
Hoſpitis hac vſi commoditate ſumus.
Tempora ſed rediens poſtquam radiantia Phœbus
Protulit, & planos vmbra reliquit agros.
Et iam quarta dies Octobres tendit ad Idus,
Octaua à cœpta denumerata via:
Erphurdia. *Hic tandem celſas Erphurdia nobilis arces,*
Spectandas lætis hoſpitiumq́; dedit.
Salue non vllis vrbs poſtponenda vetuſtis,
Muneribus ſortis, muneribusq́; loci.
Saluete ô dulces, quondam mea tecta penates,
Muſarum & ſtudij conſcia tecta mei.
Vnde ego nunc laudum perſoluam præmia vobis,
Quoue modo gratus munera veſtra canam?
Nam tibi, ſeu fluuijs gaudes Erphurdia viuis,
Non aret ſiccis flauus Hyera vadis,
Siue placent virides cliui, nemorumq́; receſſus,
Et nemora & colles & tibi prata virent.
Non ſeges in ſterili moriens decumbit arena,
Sed plena flauent horrea meſſe tua.
Non deſunt vites, non dulcis conſitor vuæ.
Et tua plebs Francis proxima vina bibit.

Hæc

Hæc tibi ſors, Geniusq́; loci, & natura dedere.
At quanta à ſuperis, quot meliora refers?
Nam quò ſtat reliquis Muſarum gloria maior
Et quanto eſt ſtudij gloria maior opum:
Tanto plus alijs famæ laudumq́; mereris,
Quæ culta es ſtudijs tam diuturna bonis,
Quæq́; frequentata es per tot iam ſecula doctis,
Nunc etiam caſtis relligione viris.
Vt taceam priſcos mores, cultumq́; virilem,
Pectoraq́; eneruis neſcia luxuriæ.
Felix ante alias, ſi dent pia numina rerum
Poßis vt ſtabili proſperitate frui.
Huc ſimul ac ventum eſt, mox conuenere ſodales,
Relliquiæ veteris nomina nota ſcholæ.
Vrbanus, Noſſenus, Aperbacchus, Megobacchus,
Cumq́; Gerungeno pars mea magna Procus.
Et quondam princeps Heſſus ſtudijq́; ſcholæq́;,
Heſſus qui vatum dona tot vnus habet.
Qui ſolet Ionio dignum cantare poëtæ,
Atq́; eadem veſtris Coë Phyleta modis.
Interdum & citharas plectro reſonare iocoſas.
Atq́; Venuſina ludere digna chely.
Libera cui ſurgit tantis quoq́; proſa figuris,
Dicendo vt poßit Craſſe placere tibi.
Et poßit dignus priſcis orator haberi
Iudicijs, ſi non eſſe poëta velit.
Adde ſub antiquis ducibus quæ geſta leguntur,
Seu Romane tuis, Græcia ſiue tuis.

Et rerum motus, curſus, cauſasq́ʒ viceſq́ʒ,
Omnia ceu digitos quæ tenet ille ſuos.
Vt quaſcunqʒ tenet ſtudiorum circulus artes,
Huic meritò cunctas dixeris eſſe viro.
Accedunt animi candor, vultusq́ʒ benigni,
Et grauitas nullo iuncta ſupercilio.
His igitur tantis ornatus dotibus, vltrò
Venit, & alloquia nos petit ipſe ſuo.
Ac primùm veteres, inquit, ſaluete ſodales,
Partim ignota cohors, ſed mihi grata tamen.
(Nam neqʒ Leucaten prius, aut te Micale norat,
Nec vos ante iſtos viderat ille dies)
Hortatusq́ʒ ſuis placidè ſuccedere tectis,
Et ſecum menſis hoſpitioq́ʒ frui.
Deinde rogans cauſſas veniendi. Sydera, dixit,
Sic ſuperi vobis omnia fauſta regant,
Sic quando incolumes noſtras veniſtis ad oras,
Fortunent reliquam numina grata viam,
Dicite quis curſus, quæ ſtat fortuna Philippo?
An valet, & ſeruant hoc mihi fata caput?
Hei mihi quàm cuperem multò prius ipſe perire
Et prior extremum poſſe ſubire diem.
Si redimenda foret pacto vita illius iſto,
Aut necis auerti vis truculenta queat.
Nam neqʒ deinde dabunt, nec fata dedêre priora
Teutonico maius lumen habere ſolo.
Omnia qui miro diuorum munera pacto
Addita naturæ dotibus vnus habet.

Hæc ait, atq; alia his etiam maiora, ſed iſta
Ne quid in os coram, prætereunda puto.
Nos quoq; rettulimus quæ res tempusq; ferebant,
Aſpectu læti colloquioq; virûm.
Sicq; illum exigimus ſolem, geminosq; ſequentes,
Grata fuit tota plus mora nulla via.
Vnà aderant Chriſti qui tum mandata docebant,
Qui formant hominum pectora, facta, fidem.
Langius Aonidum comes, & Coliſamus acer,
Et tu fortunæ debite Muſa iocis.
Accipimur paſſim factis verbisq; benignè,
Et nobis hoſpes quilibet eſſe cupit.
Nullus erat faſtus, nec erat laſciuia menſæ,
Qui cuperet reliquos temnere nullus erat,
Sed quæcunq; decet doctos feciſſe bonosq;,
Talia facta dabant, talia dicta dabant.
At quarta vt roſeos coniunx Titonia currus
Conſcendens almum præuolat orta diem:
Tunc iterum veteri renouantur corda dolore,
Nec dum deſierat mœror, & alter adeſt,
Diuerſi in varias curſus hinc tendimus oras,
Et modò coniunctum diſſociamus iter.
Micalus & patriæ Ioachimus gloria gentis
Aduertunt Franco vela ratemq; ſolo.
Me fera Turingæ quæ ſylua eſt vltima terræ
Expectat tenero non adeunda pede.
Hei mihi quàm grauibus ſoluuntur pectora curis,
Vtq; animi robur concidit omne mei?

Cum videor dulces iterum miſſurus amicos
Hoſpes & ignotos inter iturus agros.
Perſtat adhuc, animo; vulnusq́ immobile feruet,
Digreſſu acceptum care Philippe tuo.
Nec vetus ille dolor medicinam ſuſtinet vllam,
Sed velut immoto ſtatq́ manetq́ loco.
Cum ſubito accedit mœrori mœror & alter,
Arſurus priſcis ignibus, addit opes.
Diſtrahimur ſocij, vario diſtantia cœlo
In loca, fortuna quenq́ trahente ſua.
Et iam quos animi iungunt, eademq́ voluntas,
Diſſociat cœlum, diſſociatq́ ſolum.
Quàm non perpetua eſt mortalibus vlla voluptas,
Quàm citò prætereunt, quæ diuturna cupis.
Nec niſi quæ noſtros in caſus inq́ dolores
Fata manere ſinunt, fata manere ſinunt:
Sic primæ violæ pereunt æſtate cadentes,
Sic perit à tenero mox bona flore roſa.
At lolium infelix, ſteriliſq́ obdurat auena,
Nec niſi vomeribus diruta cedit agris.
Dulcius haud toto quicquam mihi contigit æuo,
Nec melius ſtudijs vtiliuſue meis,
Quàm mihi quòd pateat tua cõſuetudo Philippe,
Hic vbi Leucoreos irrigat Albis agros,
Hinc mihi digreſſo, fuit hæc prope ſola voluptas,
Atq́ eadem curis vna medela meis
Nos ſocios habuiſſe viæ, ſociosq́ laborum,
Addideras lateri quos bonus ipſe meo:

Sed

Sed neq; me vitam tecum ſors paſſa Philippe eſt,
Nec me cum ſocijs claudere poſſe viam.
Sic Deus immenſo qui temperat omnia mundo
Nil proprium cuiquam quod iuuet eſſe ſinit.
Ergò vbi tempus adeſt, abitumq; vtriq; paramus
Hæc Camerariades vltima dicta dedit,
Quæ fuit à puero tibi conſuetudo Micylle
Nobiſcum, verbis non eget illa meis,
Nam tua quod rectis iungebas pectora muſis,
Principio es nobis iunctus amicitia.
Quod ſequeris ſtudio, non vanus cultor eaſdem,
Perpetuo noſtri creſcis amore gregis.
Nec tibi amicitiæ ſubeat dubitatio noſtræ,
Quæ niſi cum ſummo funere victa cadet.
Conſilijs ſed tu noſtris parere memento,
Vt muſas primo ſemper amore colas.
Muſarum nulla eſt quæ vincat gloria laudem,
Et muſas homines & coluere Dei.
Quis foret hoc æuo tantum laudatus Achilles?
Amphilochiq; pater Telemachiq; pater.
An quiſquam noſſet veteris monimenta Latini,
Et valida Turni prælia geſta manu.
Quis Fabios, quis Scipiadas, fortemq; Camillum.
Quis noſſet Lybici triſtia bella ducis?
Si non Pierides ſeruaſſent omnia Muſæ,
Aut longa ſinerent iſta perire mora.
Muſas ſemper ama, Muſæ laudemq; decusq;,
Et famam, letho quæ caret vna, ferunt.

Nec tibi, ſi quando gemmas aurumq́ probari
Ante illas cernes, corda labare velint.
Diuitiæ pereunt, pereunt ingentia tecta,
Et pereunt aurum, purpura, veſtis, ebur.
Adde, quòd & multo ſunt hæc ſeruanda labore,
Plenaq́ curarum, plenaq́ triſtitiæ.
Sola immortalis muſarum gloria viuit,
Nullæ illam vires, nulla ſenecta domat.
Hæc mihi ſi memori ſeruabis corde Mycille,
Non vanum dices conſuluiſſe tibi:
Nunc id, quod præſens præſtet fortuna, precamur,
I bonus, & fauſto ſidere carpe viam.
Atq́ ita digreſſi Francas petit altera terras,
Altera pars Heſſos Herciniumq́ iugum.
Arx ſtat in excelſo, Melburgum nomine dicunt,
Inter finitimas præminet illa duas.
Quondam bellorum varijs agitata procellis,
Nunc ducis Herminij tuta quieſcit ope.
Subiacet huic vicus numero non magnus, at agro
Fertilis & mitis dexteritate loci.
Hic populum Chriſti non irrita iuſſa docebat
Menius, & ſummi fœdera certa patris,
Quo ſimul ac ventū eſt ſub prima crepuſcula noctis,
Hoſpicio placidus me comitemq́ fouet.
Et mihi ob amiſſos ſocios nox longa futura
Hoſpitis optata ſit bonitate breuis.
Iamq́ iterum liquidos Phœbus conſcenderat axes,
Nos tamen in medium protrahit hora diem.

For-

Forſitan & tota facta hic mora luce fuiſſet,
Ni ſtarent veteris proxima tecta Gothæ,
Quæ quia non longis diſtabant paſſibus inde,
Sub noctem ſero ſcandimus illa pede.
Hic tandem fortuna dedit mihi cernere Rufum,
Rufum quo non vir dignior alter erat.
Vnus qui ſtudio per longos contulit annos
Quicquid habet Latiū, Græcia quicquid habet.
Non erat huic lingua quiſquam, nec voce ſecundus,
Dictaq́; ceu magnis imbribus acta dabat.
Præcipuè quoties Muſas laudemq́; ſororum
Et reparatarum dona canebat opum.
Auguſto quodam ſpirabant numine vultus,
Ipſaq́; conſuerant ora referre Deum.
Ex alto quoties ſe demiſiſſet olympo
Latona, aut Maia natus, vterq́; Ioue.
Ireq́; in humano voluiſſent corpore diui.
Corporibus diuos talibus iſſe puto.
Sic erat effigiesq́; viri, corpusq́; decorum,
Cum nondum abſtulerat Parca maligna diem.
Nūc leuis vmbra volat, defunctum Muſa, Venuſq́;,
Et poſitis luget Gratia pulchra comis.
Ac tegitur modico pectus venerabile ſaxo,
Quod quondam vt caperet vix ſatis orbis erat.
Heu noſter, ſic te ſuperi voluere peremptum,
Et tutum à noſtri temporis ire malis.
Nec tua felicis quæ ſunt poſt fata ſecuta
Cernere fraterna prælia ſerta manu.

Illa tamen reſtant, multos quæſita per annos,
Gloria & è ſtudijs fama parata bonis.
Fama ea, quæ Scythici contemnat frigora ponti,
Nec metuat ſæui flammea tela Iouis.
Cumq́ ruant vrbes, pereant immania regna,
Longaq́ conſumat mœnia celſa dies:
Illa tamen viuit, quæ ſola atq́ vna ſuperſtes,
Durat in æternos non moritura dies.
Proximus Hiſpanas Titan quoq́ vergit ad vndas,
Nosq́ ſub incurua valle tenemus iter.
Cùm tandem raris cernuntur mœnia tectis,
Quæ primos ſaltus vltima vallis habet.
Iſnacum dicunt, vrbs geſtis clara vetuſtis,
Heſſorum quondam regia celſa ducum.
Hæc aperit ſyluas, aditusq́ ad plana recludit,
Hæc eadem ingreſſus claudit vtrosq́ viæ.
Imminet huic celſis arx conſita rupibus, vnde
Proſpicere hinc campos, hinc nemus omne licet.
Hanc quondam tenuit, ceu fama eſt, Heliſabetha,
Fœmina non vllos poſt memoranda viros.
Quæ virtute potens, & alendis mater egenis
Heſſorum ad cœlos extulit vſq́ duces.
Ergò vbi contigimus longè apparentia tecta,
Ad reliqua ingratos nos fouet vna quies.
Orta dies iterum cœlo crebreſcit ab alto,
Culminaq́ Hercinij ſcandimus alta iugi,
Eſt via in excelſum quæ ducit dextera montem,
Hinc media Heſſorum tramite regna ſecat.

Hanc petimus, monteſq; agrè ſuperamus acutos,
Vndiq; nos ſaltus, vndiq; ſaxa premunt.
Non hac incolitur, nec aratur vomere tellus,
Non ea paſtores, nec pecora arua tenent.
Sed ſteriles quercus, & quercu durior ilex,
Nataq; ſulcandis ardua pinus aquis.
Sub quibus immanes habitant vrſiq; lupiq;,
Et quidquid ſæuum ſilua nemusq; ferunt.
Si licet huc veterum conferre exempla ferarum,
Talia centauris antra fuiſſe putem.
Quattuor & totidem properando vadimus horas,
Cùm quædam ex modicis tecta videntur agris.
Perga loco nomen, circum piſcoſa Vierra
Non latos iugi flumine paſcit agros.
Huc vbi deſcēſum eſt, reparamus languida membra
Et nimium dura debilitata via.
Interea ex alijs eadem ſub limina ſyluis
Venerat antiqua notus amicitia.
Nomine Nithardus, dum nondū Erphurdia muſas,
Perdiderat, noſtri parsq; comesq; gregis.
Hîc vbi tum veteres mecum repetebat amores,
Et veteris ſtudium dulce ſodalitij.
Et quoniam ſermo longè proceſſerat, & iam
Oceano lotum ſol properabat equos.
Detineor, noctemq; vnà permanſimus illam,
Et fruimur ſubiti commoditate loci.
Hinc vbi poſterior proceſſit ab æquore Titan,
Heſſorum facimus regna per alta viam.

Syl-

Sylua ſtat, à porcis, credo hanc, Sylinga vocarunt,
Vix vſquam plures altera nutrit apros.
Cuius vt in dorſum tandem conſcendimus altum,
Dorſum quo tangi ſydera ſumma putes.
Horrida vis nymbi glacie commiſta niuali,
Incubat atq; nemus concitat omne gelu.
Omnia nix operit, ſyluarum ſtrataq;, nosq;
Proſpectumq; adimit, notaq; ſigna viæ.
Fit fragor, hinc validis iactantur robora ventis,
Hinc furit ingenti ſylua profunda ſono.
Vt cùm poſt longos eructat Veſuius annos
Ignes & ſummis it vaga flamma iugis,
Exundant nigro Phlegræi puluere campi,
Et paßim cineres vſtaq; ſaxa volant.
Territa vicinos agitat Campania colles,
Et mare ſub cæcis murmurat omne vadis.
Vadimus, & vario ſyluis errore vagamur,
Nec nobis cœlum, nec via certa patet.
Dumq; ita fallacis ſequimur veſtigia greſſus,
Ignotam in vallem nos via rara tulit.
Hîc domus in cæcis ſtabat non magna latebris,
Exiguas inter ruſtica tecta caſas.
Non ager, aut longi circum ſunt iugera prati,
Sed latè informis circuit ima, palus
Talis erat, credo, ſpecus & tam deuia Caci,
Qua pecus Alcides abdidit ille tuum.
Obſtupui, fateor, quis enim non horreat? aut quis
Securus poßit talibus ire locis.

Iſtis

Iſtis ergò, comes, quæ ſpes regionibus inquam,
Atq; aliquem hinc ſaluum poſſe redire putem?
Aſpice nos ingens à tergo ſylua coërcet,
Excipiunt noſtras hæc noua monſtra vias.
Iamq; aliquis tetro veniet progreſſus ab antro
Sublatum prædæ cui caput iſtud erit.
Sic miſeri ignotis ergò moriamur in oris,
Et carpent diræ viſcera noſtra feræ?
Sic inquam & mentem videor mutatus, & ora
Cùm placidè fidus rettulit iſta comes.
Deme metum, quondam fuit hæc iniuria regni,
Deme metum, ac animos ad meliora refer.
Cum domino tellus proprio ſpoliata iaceret,
Remq; ſuo gereret quilibet arbitrio.
Tunc fuit iſta feri metuenda licentia vulgi,
Armarant rigidas prælia longa manus.
Tunc ſæpè in media ſtratus regione iacebat
Aut graue pendebat fronde viator onus.
Nunc loca cordati, tuta hæc, cuſtodia fecit
Principis optata pace regentis opes.
Principis, ingenio, quo non clementior alter,
Aut animo quiſquam candidiore fuit.
Qui ſimul ac patrias moderari cœpit habenas,
Et gerere imperij tradita ſceptra noui:
Ius, æquum, pietas, leges, concordia, Muſæ,
Cùm priſca in lucem mox rediere fide.
Vt neq; Saturni vincant hanc ſecula gentem,
Aequior aut cœlum Iuppiter ipſe regat.

His

His dictis animum paulatim & pectora mulcet,
Liberat & vano territa corda metu.
Quoq; magis curas animo mihi demeret omnes,
Ducit ad anguſtæ limina parua domus.
Depromiq; merum poſcit, corpusq; leuare
Me iubet & mentem ſpe reparare bona.
Hinc iterum liquidas donec ſol duceret horas,
Per iuga ſyluarum longa tenemus iter.
Plana iacet vallis, campo ſpectanda virenti,
Quam gelido mediam flumine Fulda ſecat.
Huius ab ingreſſu non longè mœnia iactat
Viribus vrbs quondam, diuitijsq; potens,
Hersfeldum priſci nomen poſuere coloni,
Terra potens gleba & relligione patrum.
Hîc noctem veteres producimus inter amicos,
Quos ibi tum patrij fructus alebat agri,
Mutuaq; alternis releuantes pectora dictis
Ducimus in longas tempora grata moras.
Hinc nos Elsfeldum lucis via longa ſequentis
Per crebros ſaltus, & iuga celſa tulit.
Nec tua ſunt, altas quæ tangis vertice nubes
Verſibus Hirsbergæ tecta ſilenda meis.
Nam tibi nec turres, validi neq; robora muri,
Nec viui deſunt ardua ſaxa iugi.
Vnaq; finitimos inter celſiſsima colles
Proxima conſpicuum tollis in aſtra caput.
Vt neq; te Phariæ videantur vincere moles
Nec quæ Tarpeia condita rupe ſtetit.

Præ-

Præcipuè domino felix, quò iuſtior alter
Non fuit aut iſto fortis in orbe magis.
Hanc prius ad dictam quàm greſſu venimus vrbem,
Carpentes, ima parte videmus, iter.
Inde Gerunbergi ſubeunti luce venimus,
Vrbem cui viridis nomina fecit ager.
Forſitan hinc etiam progreſſum longius eſſet,
Ni pluuia inceptum detinuiſſet iter.
Poſtera ſed cœlo poſtquam lux fulſit aperto,
Flectimus ad comitis patria rura viam.
Vrbs tenuis ſurgit veteri circundata muro,
Inter depreſsi iugera pauca ſoli,
Imminet arx validis poſtremæ turribus vrbi,
Ardua non nimium, ſed tamen alta ſatis.
Hanc heros habitat maior Sulmonius annis,
Ille quidem reliquis, ſed grauitate prior.
Quò comes vt ventum eſt, lucem me detinet illam,
Et quæ poſt illam mox ſubiere duas.
Quarta iterum ſolitas Titonia flectis habenas,
Nos quoq; maturum iam reparamus iter.
Linquitur à tergo longè collisq; nemusq;,
Et latos circum viſus oberrat agros.
Iamq; per aduerſi gradientes æquora campi,
Aſpirat placidi mollior aura ſoli.
Tendimus hinc greſſum, non vno principe tuta,
Quæ ſua Fridburgum tecta videnda dabat.
Mœnibus hæc vrbis diſtat tria milla noſtræ,
Vrbs quondam noſtra non minus ipſa potens.

Cùm

Cum nondum patrio melior Francphurdia Meno
Vndiq; collatas excipiebat opes.
Hinc demum egreſſis media Francphurdia turres,
Et domuum oſtentat culmina ſumma procul
Ac propius viſam, propiusq; accedimus vrbem,
Et peragi totum poſſe videtur iter.
Cum nix præueniens adimit terramq; diemq;,
Et prohibet notas cernere poſſe vias.
Flectimus omiſſis iterum veſtigia cœptis.
Paruaq; vicini tecta ſubimus agri.
Hic cupidos retinent ingratæ tempora noctis
Tardaq; cum modico iuncta ſopore mora:
Purpureos donec religauit Apollo iugales,
Atq; iterum cœlo conſtitit orta dies,
Tunc malè depoſitos heſterna luce labores,
Iamq; abſoluendum rurſus obimus iter.
Sexta Calendarum, quæ lux eſt dicta Nouembris,
Illa dedit finem verſibus, illa viæ.

IOACHIMI CAMERARII Hodœporicon Hyemale Anno 1557.

Lipſidos egreſſi reuocatis mœnibus vrbis,
Pleiade occiduas mane obeunte plagas,
Nato vno comite, & tecum Lechnere volente
Quocunq; iretur, nos Iacobe ſequi.

Fer-

Fertilis emenſi pingues Duringidos agros,
Ante alias terra cui fauet alma Ceres,
Quaq́ꝫ Sala atq́ꝫ tuis fœcunda Vſtrote fluentis
Vitifero Bacchi munera colle patent:
Montibus Heſsiacis in ſyluarumq́ꝫ ſalebris,
Quinq́ꝫ procelloſos hæſimus imbre, dies:
Dum te quæro ſequẽs præſtãs pietate Melanchton,
Et mihi perpetua iuncte Philippe, fide.
Hic etiam Zigenhaina tuam conſpeximus arcem.
Cuius opus celebris nobile fama vehit.
Marpurgum hinc petitur, Muſis vbi cura ſacrauit
Principis, egregiæ clara Lycea ſcholæ.
Illa dies veteri nos exhilarauit amico,
Præbuit & vini munera grata boni.
Nullus amicitia vitæ eſt iucundior vſus,
Corporibus proſunt vina animosq́ꝫ leuant.
Tu mihi tu tenera coniunctus Adame iuuenta
Seruaſti ſanctæ fœdus amicitiæ,
Vrbe quod eſt magna firmatum, qua Gera crebro
Vicatim manans flumine diuiditur,
Quondam vbi florebant loca conſecrata Camœnis
Acer & artis erat cura laborq́ꝫ bonæ.
Interea varijs animus rumoribus actus,
Afficitur multis ſollicitudinibus,
Quid te fiat, vbi ſis care Philippe locorum?
Quaq́ꝫ valetudo ſit tua? quod ſit opus?
Quem iurata cohors inimica euertere ſæuis
Inceſſit dictis, improbo & ore petit.

At vbi pax cordi eſt ſtudiumq́; optabile veri,
Pura hominesq́; colant vt pietate, Deum.
Ac tu, quæ ſit adhuc fortuna domeſtica, neſcis,
Et noua lugubris cauſſa doloris abeſt.
Nam dum rebus ades dubijs conſultor & auctor
Sit ſtabili vt concors relligione fides.
Iam tua ſeptem vxor luſtris dilecta peractis
Connubij in terris deſijt eſſe ſuper,
Adq; ſuum dominum Chriſtum migrauit Ieſum
Pectore vitâ fuit quem venerata pio.
Vrbem deinde vadi Francorum nomine dictam
Venimus & Bromiam ſole cadente domum.
Quæ nobis domino prolixè præbuit abſens
Hoſpitium iuſsis conciliante ſuis.
Exhibuit nobis lux flumina poſtera Rheni
Tertia priſcorum mœnia Vangionum.
Eytelbergiacam tunc accerſitus ad arcem,
Inq; Palatina ſede Philippus erat.
Principe Muſarum cultum inſtaurare paranti,
Atq; decus ſtudijs conciliare nouum.
Ergo alijs properanter equis contendimus illuc,
Longum etenim noſtros debilitarat iter.
Venerat è patria quoq; Brettide frater eódem,
Quo mihi nil potuit gratius accidere.
Tu quoq; tunc aderas ſocerum Peucere ſecutus
Albidos à celebri littore Saxonici.
Quid memorem quàm me ſuaui complexus amore,
Cœperis aduentu gaudia quanta meo?

Quàm

Quàm viſis curas nobiſq; abieceris omnes?
Vt dederis totum teq; Philippe mihi.
Illa dies hilares abijt læta inter amicos,
Erudijt tua vox mane Philippe ſcholam.
Pranſi, hortos mox Otto tuos Henrice labores,
Egregium miræ viſimus artis opus.
Fœtibus externæ facundos arboris hortos,
Herbarum & vario fertile flore ſolum.
Quid verbis opus eſt? Scheriæ pomaria dicas,
Cernere, qui Chij carmina vatis habes.
Indicium hîc factum eſt fatalis flebile caſus,
Et mors vxoris ſignificata tibi.
Quæritis hæc animo tulerit quàm nuncia forti?
Magnanimi hîc pia ſunt cognita corda viri.
Cara vale coniunx, inquit, te fata tulere
Nunc tua, mox etiam me mea deinde manent.
Cara vale, tu me præcedis morte beata,
Digreſſam ſed ego te ſequar ipſe breui.
Hæc tunc ille ferè, neq; multo plura locutus,
Dum ſermonum aliam quærere materiam
Conatur, gemitus erumpunt pectore ab imo,
Fortior & creſcens fit ratione dolor.
Hunc tamē et premit ille, et qua camerata patebat,
Vitis adhuc paucis pallida cum folijs,
Secedit, ſpacia & mecum per plurima rebus
De varijs ſolus libera verba facit.
Quàm prius & quàm tunc oblata negotia nullam
Admittant dextræ iam medicantis opem.

In quibus ambitio & ſtudium inſatiabile rixæ
Regnet, in hisq́ꝫ ſui pernicioſus amor.
Heu mihi non verum, non gloria quæritur, inquit,
Quæ quærenda fuit ſolius vna Dei.
Colloquij caput iſtud erat, nam cuncta referre,
Nec locus eſt, quædam nec retuliſſe decet.
Inde tuas ædes vna deuenimus omnes,
Lange Machaonia nobilis arte ſenex.
Videram ego hunc olim doctrinæ laude celebrem
Lipſide Muſarum cultor in vrbe puer.
Vtq́ꝫ fui ingenium tunc admiratus & artis
Nomina honorifero parta labore, bona:
Sic modò ſuſpexi venerandis tempora canis
Alba, & præclari candida corda ſenis.
Muſica nocte illa nos carmina delectarunt,
Et Cyrlere tua cœna parata domo.
Poſt hæc & morbus languentia membra dolorq́ꝫ
Te ſolito afflixit more Philippe magis.
Præſertim me digreſſo, Conſiſtere longo
Quem ſors haud illic tempore paſſa fuit.
Nam magnæ res & cauſſæ me aliò rapiebant,
Tres & in hac tantùm manſimus vrbe dies.
Perq́ꝫ vagi in Francos tendentem littora Rheni,
Accipit Erpachidum me domus hoſpitio.
Erpachidum fratrum domus inclyta: Tuq́ꝫ Georgi
Tædia clementi noſtra fauore leuas.
Coniuge præluſtri felix Palatinide, qua non
Femina ſincera eſt relligione prior.

Quem

Quem Stibarus ſummum expertus Danielus amicũ
Rebus honorem habuit præſidiumq́; ſuis.
Veri in quo ſtudium, pietas, ſapientia, virtus,
Et ſimul ingenuæ Muſicus artis amor.
Laudibus eximijs generoſi germinis auget
Antiqua clarum nobilitate decus.
Iam magis Arcturo fieri lux longa latente,
Et ſpacio labi iam breuiore dies,
Tertia lux, vrbisq́; oſtendit mane renidens,
Quæ vetus à muſto mœnia nomen habent.
Franconicæ caput hoc ſicut gentis fuit olim,
Nunc etiam eſt ſedis Principis ille locus,
Vurcipurgiacum vocat incola. Tempus erat quo
Vitiferos colles non magis vua grauat.
Spumabantq́; lacus & Bacchi vaſa liquore,
Stridebantq́; alacri præla retorta manu.
Quod vidit me ſæpe libentem hac tempus in vrbe,
Nunc vnum potuit non retinere diem.
Triſtis vbiq́; oculis quoniam occurrebat imago,
Vſibus erepto te Daniele meis.
Iamq́; tuas præter Stibarini nominis ædes
Saucius heu quanto corda dolore vehor?
Dumq́; aliquid dico, & dum cogito plura, citato
Vrbem vix compos tranſeo mentis, equo.
Cætera erit melius tacuiſſe. Ita poſtera me lux
Conſpexit patrij tecta ſubire Laris.
Noricidos dehinc hoſpitium nos accipit vrbis,
Atq́; alia huc rurſum venimus inde via.

Qua Palatiniacis regionibus adiacet Aegra,
De meo vbi & vallis nomine nomen habet.
Seq; aperit mons Anna tuus, mox nobile textu
Chemnicium, & notum Penica pandit iter.
Cauſſa viæ & curſus noſtræ eſt hoc carmine dictus,
Quod qui fortè legis conſule quæſo boni.
Dum nos portat equus, dum cura laborq; fatigat,
Et mihi ventorum eſt ſæpè procella grauis:
Compoſui hæc meditãs, quæ mox perſcribere iußit,
Qui ſua amor, magni qualiacunq; facit.
Tunc Chriſto à nato quingentos milleq; ſupra
Quinquageſimus & ſeptimus annus erat.
Aetatis qui idem metitur tempora noſtræ,
Aprilisq; Idus anticipando notat:
Quem Camerariadum gens antiqua edidit vrbe,
Quam Regneſſe tuum hinc flumen et inde rigat.
Haud ſanè vacua iſta viris nec viribus olim,
Pauonum & lingua mons fuit Auſonia.
Aonij ſtudij quam feci laude celebrem
Doctrinaq; alios erudiente, magis.
Nil tibi liuor edax mecum eſt. Mediocria noſtra
Omnia ſunt, alios corripiendo pete.

Ioach. ſc. Id. Decembr.

ITER

ITER FRANCICVM, IN QVO continetur deploratio de obitu ſereniſsimi & potentiſsimi Regis Daniæ & Noruegiæ Chriſtiani tertij,&c.

AD

FRIDERICVM II. FILIVM Daniæ & Noruegiæ Regem,&c.

AVTHORE

IOANNE FRANCISCO RIPENSI.

Si vacat, & magnæ concedunt ocia curæ,
Nec graue iam regni te remoratur onus,
Accipe quæ Nicri gelidas ſpumantis ad vndas
Condidimus, teneris pauca ſed apta modis,
Non iter ad Solymos, non quod Pagaſæus Iaſon
Per freta Theſſalico remige fecit iter.
Parua quidem Friderice via eſt, qua fertile Mœnus
Pulcher arenoſo diuidit amne ſolum.
Parua fuit medij mora temporis inter eundum,
Multa (ſed heu) paruum triſtia tempus habet.
Præcipuè fatum lachrymabile Regis amati,
Carmine quem deflet noſtra Thalia ſuo.
Si miſcere tamen fas eſt quoq; triſtia lætis,
Vade per inceptam Calliopea viam.
Ver erat in foribus, menſiſq; octaua ſecundi,
Ibat ab exorto ſole reducta dies.

Cum duce Lotichio (ſic mens animusq́; ferebant)
Dulce Nicrum linquens ingrediebar iter.
Scilicet Hectoreos populos viſurus, & vrbem
Quam vetus à muſto nomen habere ferunt.
Noſtra ſed herbarum de nomine nuncupat ætas.
Mœnus eam liquidis perfluit vber aquis.
Ergò enſem lateri, plantis calcaria necto,
Quæq́; alia, vt mos eſt, arma viator habet.
Iamq́; pari ſpatio Phœbus diſtabat vtrinq;,
Eoam ſpectans Heſperiamq́; domum. (tat,
Quādo Deū tacitus venerās prece, quod benè ver-
Mœnibus egredior præpete vectus equo.
Heydelberga vale, quæ Regum facta canentes,
Laurigero reuocas ex Helicone deas.
Te propter gelida veni digreſſus ab Arcto
Longinquæ paſſus tædia multa viæ.
Te propter ſacro Phœbi correptus amore,
Albiacis Nicrum fluctibus antè tuli.
Talia graminea referens in margine ripæ,
Carpebam notas prata per vda vias.
Spumeus ad dextram rapidis Nicer æſtuat vndis,
Ad læuam montes altaq́; ſaxa iacent.
Et molles tenui labentes murmure riui,
Humida fœcundo prata liquore rigant.
Viciniſq́; fremunt lapſi de montibus amnes,
Actaq́; terrifico ligna fragore trahunt.
Ligna procul Rheni quæ nauita vendit ad vndas,
Namq; habet has ſolas incola pauper opes.

Mox

Mox humiles paruæ muros intrauimus vrbis,
Quà tenet à ſaxis nomen & amne locus.
Vix egreſſus eram, cùm nubibus ecce ſolutis,
Frigidus hyberna decidit imber aqua,
Horrida diſcordes exercent prælia venti
Acta pruinoſis obſtrepit aura iugis.
Veſtibus in madidis iam ſole cadente ſubimus,
Leniter accliui mœnia ſtructa iugo.
Mœnibus inſigne eſt, & nomen cornua cerui,
Turribus & medio cornua picta foro.
Hoſpitium fauſtis monſtrabat candidus alis
Albus olor dextras hoſpitis ante fores.
Augurio læti per noctem manſimus illic,
Cygnus enim carus vatibus eſſe ſolet.
Nocte venit, celebratq́; dapes vicinia ſimplex
Ebria nam Bacchi feſta bicornis erant.
Ducere nec piguit choreas, interq́; puellas
Ludere, ſic multo nox fuit acta mero.
Mane per anfractus vallis ripamq́; virentem,
Pergimus, & rapidis acceleramus equis.
Prægredimurq́; vrbem, cui montes inter & amnem
Flumen, & agreſtis nomina fecit aper.
Inde per oppoſitum ſaxoſo tramite cliuum,
Arduus aſcenſus difficiliſq́; fuit.
Luſtraq́; contigimus dumoſis horrida ſyluis,
Nobile quæ magni nomen Othonis habent.
Fortè quòd indomitos illic conſueuerit vrſos
Arbiter imperij per nemora alta ſequi.

Nam priſci ſtudijs Heroës talibus olim,
Ad graue firmabant corpora Martis opus.
Illis ſæpè famem ſylueſtria poma leuabant,
Hauſtaq́; de liquido pocula fonte ſitim.
Sæpè thorum ceſpes ſub ramis arboris altæ
Præbuit, & tellus dulce cubile fuit.
Talis erat Peleus, talis Calydonius heros,
Talis & armipotens Cæſaris huius auus.
Cuius adhuc extant veterũ monumẽta laborũ,
Quà rotat Alpinas ſpumifer Oenus aquas.
Solus vbi volucres, capreas, damasq́; ſecutus,
Sedit in aëreis nocte ſilente iugis.
Hæc mihi Lotichius cupidas referebat ad aures,
Mentio cùm Regum facta Ducumq́; foret.
Pampineo culti non illic palmite colles,
Non grauidis floret meßibus almus ager.
Conifera pinus, & fagus, & ardua quercus,
Iunctaq́; nux pagis, iuniperiq́; virent.
Rara per obſcuras villarum culmina valles
Apparent, humiles nix tegit alta caſas.
Sed genus acre virûm, paſtoralisq́; iuuentus,
Cornigerum paſcit per iuga celſa pecus.
Planicies herboſa iacet, ſed nulla rotarum
Signa, viatori trita nec vlla via eſt.
Illic incerti curſus inhibemus equorum,
Cùm mihi ſic findens ligna colonus ait.
Vade per has valles patulos vbi videris agros,
Monſtrabit certum furca bicornis iter.

Egreſſus ſyluis, agros furcamq́ videbam,
Pars tamen à furca læua reciſa fuit.
Quæ ſequitur lutulenta via eſt, colleſq́ reſidunt,
Actaq́ iam roſeæ tempora lucis erant.
Protinus ante vrbem de fago nomen habentem,
Hoſpitis ingredimur, ſole cadente, domum.
Grata fatigatas recreant conuiuia vires,
Hinc vinum laſſos calfacit, inde focus.
Pinguia nec lautæ deſunt farcimina cœnæ,
Nec ſale durati fumida terga ſuis.
Quid tibi piſciculos memorem, quos vimine textis
Alueolis captat, nocte tepente, puer?
Adde merum ſaliens, illis quod gignit in oris,
Ad Mœni liquidas conſita vitis aquas.
Inſuper accedunt hilares ſuper omnia vultus,
Quo nihil hoſpitibus gratius eſſe poteſt.
Duximus hinc molles poſt dulcia pocula ſomnos,
Donec ab Eois ſol fuit ortus aquis.
Nocte viam tota largus corruperat imber,
Quæ grauis, & fallax, & ſalebroſa fuit.
Carmina Lotichius veterum celeberrima vatum,
Cantabat varijs lata per arua modis.
Nunc quæſtus Ariadna tuos, nunc Phyllidis ignes,
Et numeros citharæ, Lesbi puella, tuæ.
Eurialiq́ necem, Niſiq́ canebat amorem,
Sic breuior dulci carmine facta via eſt.
Veſpere ſex tandem pagis poſt terga relictis,
Ingredimur muros Lauda vetuſta tuos.

Tu-

Tuberus irriguis vrbem præterfluit vndis,
Aucturus Mœnum Tuberus amne ſuo.
Comiter accipimur, ſed res fuit vna dolori,
Illa, quòd Hofferus Michaël æger erat.
Candidus Hofferus diuini buccina verbi,
Chriſticolas illic paſcere iuſſus oues.
Ante fores templi ſtant ſaxo inciſa vetuſto,
Arma Palatinæ conſpicienda domus.
Quid non imminuit rerum longæua vetuſtas?
Nunc alius tantas poſſidet vrbis opes.
Poſtera lux illic, ſed non ſine litibus acta eſt
Muſa ſile, litis cauſa tacenda mihi eſt.
Flaua pruinoſas aurora fugauerat vmbras,
Surgimus, & cœptum continuamus iter.
Fortè ſed ambigua decepti fraude locorum,
Tuberus obliquo qua fluit amne ſumus.
Fleximus ad dextram curſus, tu caute viator,
Qui ſequeris, læuo tramite carpe viam.
Deuius hàc illàc palantes error agebat,
Errori ſtatuit nox tenebroſa modum.
Valle ſub obſcura primis ſurgentibus aſtris,
Vidimus exiguæ ruſtica tecta caſæ.
Excipit hîc feſſos, dubijsq; erroribus actos,
Pauperis agricolæ non inamœna domus.
Agricolæ viridi iam filia nubilis æuo,
Dulce miniſtrabat patre iubente merum.
Semirecincta ſinus ibat, tergoq; fluentes
In nodum longas iuſſerat ire comas.

Ver-

Vernabant ſine labe genæ, ceu ſæpè per hortos,
Candida parte ſui lilia, parte rubent.
Protinus occultis (quis crederet?) ignibus arſi,
Captus & ingenua ſimplicitate fui.
Sæpè propinabam dilectæ vina puellæ,
Sæpè propinanti rettulit illa vicem.
Iamq́; ſuo plauſtrum vertebat ab axe Bootes,
Actaq́; pars gelidæ maxima noctis erat.
Saucius agreſti ſtipulæ fœnoq́; rigenti,
Ante focum curis membra leuanda dedi.
Non tamen ægra leuis mulcebat pectora ſomnus,
Nec mihi condebat lumina feſſa ſopor.
Sed repetens tota ſuſpiria nocte iacebam,
Correptus flammis, magne Cupido, tuis.
Quid tibi cum pago pharetrati mater amoris?
Quid tibi cum duro ſtramine ſæue puer?
Mane receſſurus, figens prius oſcula, dixi,
Candida formoſi ruris alumna vale.
Inde per oppoſitos via viſa breuiſſima colles,
Perq́; frequens piceis ilicibusq́; nemus.
Donec turrigeris celſam cum mœnibus vrbem,
Vidimus ad ripas cærule Mœne tuas.
Hic facunde tuas Sturmere ſubiuimus ædes,
Qui trahis à veteri nobilitate genus.
Quem chorus Aonidũ Charitesq́;, & fautor Apollo,
Certatim donis excoluere ſuis.
Tres illic fauſto conſumpſimus omine luces,
Hoſpitio læti, mitis Eraſme, tuo.

Nos

Nos ſacer Antiſtes menſa dignatus, & aula,
Conuiuas inter iuſsit habere locum.
Nobiliumq́; decus gentisq́; Hutenus auita,
Proximus à ſacro præſide cuius honor.
Hutenus rediens qui nuper ab vrbe Quirini,
Mœſtus ob amiſsi funera fratris erat.
Tu quoq; Iane decus Graiæ linguæq́; Latinæ,
Signa voluntatis grata Zobelle dabas.
Rugerusq́; meus, cultiq́; Sinapius oris,
Pœonij præſtans lumen vterq; chori.
Aduena magnificæ Mœnus præterfluit vrbis
Mœnia, vitiferis vndiq; cincta iugis.
Læta racemifero ſunt conſita palmite rura,
Si videas Bacchi, dixeris eſſe domum.
Arx alto conſtructa iugo ſupereminet vrbi,
Et rigui liquidas deſpicit amnis aquas.
Cuius in accliui Zobellus tramite Princeps,
Occidit ante ſuum proditione diem:
Heu ſcelus, heu crudele nefas, quis barbarus auſus,
Præſulis innocui tingere cæde manum?
Templa vetuſta iacent, vbi contumulata virorum
Corpora nobilium morte ſoluta cubant.
Illic Lotichius monſtrans mihi triſte ſepulchrum,
Hî, ait, oſſa meus tecta Stibarus habet.
Auſpice quo ſacros hauſi de fonte liquores,
Quo leuat ipſa ſuam Calliopea ſitim.
Tertia ſed roſeos iam lux iterauerat ortus,
Lotichiusq́; ſuo munere functus erat.

Tol-

Tollimur & Laudam, ſic re cogente, redimus,
Tres vbi nos imbres detinuere dies.
Interea rumor perculſas occupat aures,
Sæua Palatinum fata tuliſſe Ducem.
Extinctumq́; tuum clariſsima Dania Regem,
Atq́; alium patriæ iam dare iura meæ.
Non ſecus obſtupui, quàm ſi redimita colubris,
Ante oculos ſtarent Gorgonis ora meos.
Scilicet hîc magnis fatalis Regibus annus
Et ducibus, dixi, Principibusq́; fuit.
Occidit æternis Cæſar virtutibus ingens
Carolus, Heſperia contumulatus humo.
Carolus armipotens, cui ſecula pace vel armis,
Nulla ferent vnquam, nulla tulere parem.
Cæſaris adde duas ſublatas morte ſorores,
Quæq́; tuas diſcors Anglia rexit opes.
Regis & ipſe ſui conſortem funere raptum,
Sarmaticus largis Viſtula luxit aquis.
Adde duces, quorum letho Germania fleuit,
Adde Palatinæ funera bina domus.
Nec ſatis hoc fuerat, ſed te quoq; Dania Rege
Orbauit ſæua mortis acerba dies.
Ergò iaces patriæ pater ô fortiſsime, cuius
Dextra fuit factis inclyta, clara fide.
Vindicibus cuius virtus ſe ſuſtulit armis,
Fregit & hoſtiles Marte fauente minas.
Quid loquor vt ſubitos ſedauerit inde tumultus,
Vt dederit victas Haffnia capta manus?

Nil locus aut muri, nihil inſuperabile vallum,
Nil circumfuſæ profuit vſus aquæ.
Læta tamen niueis plaudens victoria pennis,
Concolor & nullo ſanguine tincta fuit.
Sed maiora canam: Tu iuris amator & æqui,
Tu cultor veræ relligionis eras.
Vana ſuperſtitio quod noſtris exulat oris,
Quod dedit impietas, cedere iuſſa, locum.
Se debere tibi ſyncero corde fatentur,
Indigenæ quotquot Dania fortis habet.
Nec minus ad gentes ſacra propagare ſtudebas,
Frigidus à celſo quas videt axe polus.
Dicite vos Muſæ, quis vos adduxerit iſtuc,
Quà iacet hyberno Dania cincta mari?
Inclytus, in terras dimiſſus ab æthere, princeps,
Hoc fera barbaries vindice pulſa fuit.
Ille domum profugis & culta palatia ſtruxit,
Atq; alio iuſſit vos Helicone frui.
Haffnia qua numero doctorum clara virorum,
Aonias largo flumine fundit aquas.
Per te parta quies, Rex ô fortiſſime, per te
Patria tranquilla pace quieta fuit.
Qualiter Halcyonum dum pendent æquore nidi
Per mare ſecurum nauita carpit iter.
Non horrenda truces exercent prælia venti,
Sed placidis abies labitur vncta vadis.
Talis erat regni per te florentis imago,
Vſq; adeò ſanctæ pacis amator eras.

Ergò

Ergo velut cultis tollit ſe laurus in hortis,
 Seruat & æterno frondis honore comam:
Sic tua per populos nullo delebilis æuo,
 Gloria ſe liquida tollit in aſtra via.
Inter & Heroas frueris fœlicibus illis,
 Turba quibus Chriſti morte redempta, bonis.
Iamq; vale, tumuloq; precor ſecura quieſcant
 Oſſa, ſit exuuijs paxq; quieſq; tuis.
Eq; tuo violæ creſcant & lilia buſto,
 Regia perpetuis floreat vrna roſis.
At tu qui ſumis regni ſucceſſor habenas,
 Iamq; ſedes patris, Dux Friderice loco:
Auſpicijs ſceptrum capias fœlicibus opto,
 Claraq; per magni facta parentis eas.
Vt fœlix placida populos in pace gubernes,
 Candida dum niueæ tempora pacis erunt:
Adſit & in dubio belli certamine Mauors,
 Si fuerint forti bella gerenda manu.
Tu quoq; magna feres claræ præconia famæ,
 Inclytus & priſcis non inhonorus auis:
Nec deerunt celebres olim qui dicere laudes,
 Et tua certatim condere facta velint.
Tu modò præſtantes victuro carmine vates,
 Et defende nouem, quas pater antè, deas:
Munere Pieridum ſolo, poſt funera Reges,
 Morte vel inuita, nobile nomen habent.
Macte animo populisq; potens & diuite regno,
 Gaudeat imperio terra fretumq; tuo.

Sed repetamus iter, iam Martis flaua Calendas
Attulerat roſeo Memnonis axe parens.
Digredior letho Regis turbatus amati,
Lotichius Lauda ducit in vrbe moram,
Vt vada contigeram quæ montes inter amœnos
Defluit, & ripa floret vtraq; Nicer,
Hic ſegnis pertæſus equi, duriq; laboris,
Naue leui prono deuebor amne domum.
Heydelberga domus Phœbi cariſſima ſalue,
Atq; eadem, quamuis non mereare, vale.
Sed non culpa loci eſt: quid pergis dicere Clio
Omnia? iam capta meta peracta via eſt.
Cætera cùm fuero, princeps Friderice, reuerſus,
Ipſe tui præſens commemorabo, Vale.

IN HODOEPORICON ITINEris Conſtantinopolitani, Autore Paulo Rubigallo Pannonio.

EPIGRAMMA PHILIPPI MELANCHT.

HAEc quicunq; leges, ſi Chriſti numen adoras,
Et cælo ſentis iuſſa tuliſſe Dei,
Deplora auulſas à Chriſti nomine terras,
Viuere tot gentes & ſine luce Dei.
Arbitrijsq; regi ſæui, ſine iure, Tyranni
Cunctas ærumnas ſeruitijq; pati.

Abſtraa

Abſtrahit ah miles quoties à matre puellam,
Et miſeram procul in Caſpia regna vehit?
Ah quoties patria pelluntur ſede coloni,
Et vaga cum natis exulat ipſa parens?
Vt ſunt graſſati Sicula cyclopes in ora,
Quîs laniata hominum membra, fuere dapes,
Sic modò ſæuiciam toto gens Turcica in orbe
Exercet Scythicis rupibus orta, ſuam.
Si non afficiunt regum, mala publica, mentes,
Iſte tamen tangat pectora noſtra dolor.
Nos animi magno faciamus vota dolore
Depellat verus Turcica vt arma Deus.
Nec ſinat extingui doctrinæ lumen in orbe,
Agnoſci qua ſe ritè coliq; iubet.

IN CARMEN HODOEPORIcon viæ Conſtantinopolitanæ P. Rubigalli Pannonij, ad lectorem.

IOACHIMVS CAMERARIVS.

QVi legis hoc plenam diſcriminis atq; pericli,
Deſcriptam egregio carmine fortè viam.
Quàm tibi ſecuro nunc hæc cognoſcere dulce eſt,
Cùm placida voluis ſcripta diſerta manu.
Omnia ſollicito tunc illa labore ſubire
Autori durum tam mihi crede fuit.

Nunc Rubigalle tuo ſtudio curaq; fideli,
Vt licet à nobis gratia digna redit.
Qui facis vt cunctis tua triſtia tempora longa,
Cùm vult quiſq; ferant gaudia magna, via.
Hei mihi quòd noſtri non omnibus hæc loca Reges
Armis & iuſto pandere Marte ſtudent?

CLARISSIMO ATQVE AMPLISſimo, Domino Martino Luſſel, Iuris vtriuſq; Doctori, Viroq; apud Lipſenſes Conſulari, patrono ſuo obſeruando, P. Rubigallus Pannonius. S. D.

Martine Arctois fama celeberrime in oris,
Miſnia qua cultum pandit amæna ſolum,
Si vacat à grauibus, quarum tibi copia curis
Sacraq; tantiſper linquere Iura potes.
Siq; iuuat Turcis ſubiectas diſcere Gentes,
Et libet eoæ noſcere regna plagæ:
Accipe non vanas referentia carmina nugas,
Sed quæ ſunt certo cognita vera mihi.
Accipe deuota conſcriptum mente libellum,
Quodq; vides gratæ ſuſcipe mentis opus.
Exiguum eſt fateor, nec quamuis longa querela,
Dicere quæ vidi triſtia cuncta queat.
Quæ ſit Turcarum feritas, quàm ſæua tyrannis,
Mæonius poſſet vix memorare ſenex.

Eſt virtus vultu res paruas poſſe ſereno
Suſcipere, ingenij & candidioris opus.
Hoc tu cum præſtas, ſemper quæcunq; benignè
Suſcipis, & magni ſcripta diſerta facis.
Exuperat dotes hinc candor cùm tuus omnes
Plus animum ſpectes quàm precor iſtud opus.
Quem bene perpendens vbi forſan noueris, ipſo
Non aliquem dices poſſe placere magis.
Ille breuis vitæ cunctos deuinctus in annos,
Eſt tibi nec poſt hanc deſinet eſſe tuus.
Vnde amor iſte tamen nobis ſit fortè requiras,
Cùm tibi ſim nullo ſanguine iunctus ego.
Ille mihi tecum nuper qui contigit vſus,
Hoc agit; hoc virtus digna fauore facit.
Auſus eras etenim peregrinum inducere tectis,
Hoſpitiis & grati ſuſcipere ipſe loco.
Auſus eras ſtudiumq; tuum, mentemq; benignam,
Deferre ignoto, nec meritoq; mihi.
Pro quibus officijs vt gratum credere poſſes,
Hoc quodcunq; vides creuit & extat opus.
Extat, at ingenium deſiſte requirere in illo,
Ambitione vacat, pectora grata probat.
Mentem igitur potius rude quàm perpendito car-
Immemorem quæ me non ſinit eſſe tui. mẽ,
Donec erunt certè prælucida ſydera Olympi,
Et donec tellus & freta donec erunt.
Quicquid ero, nil ſum niſi gratus crede futurus,
Candorisq; tui tempus in omne memor.

Sed tua ne multis ſuſtentem pectora verbis
Perlege, fortè aliquid quod iuuat, inde feres.
Sic tibi fœlicis producant tempora vitæ,
Et tribuant votis Dij meliora tuis.

HODOEPORICON ITINERIS Conſtantinopolitani.

TEmpore concedens quo Rex in fata Ioannes,
Liquerat Hungaricæ regia ſceptra domus.
Inq́; patris titulos natus ſucceſſerat infans,
Et dubia imperij forma recentis erat.
Turca ferox Medo, quo cinctus, Acinace gaudet,
Ad proceres regni plurima ſcripta dedit.
Pannoniaq́; petens perfricta fronte tributum,
Terruit innumeris triſtia corda minis.
Quid facerent? ratio ſic temporis ipſa ferebat,
Quamlibet inuiti vt pacta tributa darent.
Nec mora magnatum venerando ex ordine lectos
Verbetium mittunt, Eſſetiumq́; pium.
Hosq́; iubent regni Turcis offerre tributa,
Flectere & immitis pectora dura Getæ.
Aſt ego quem dudum non parua cupido tenebat,
Viſendi terras Græcia clara tuas,
Scilicet Aemathij pateant vbi iugera campi,
Iugera ciuili facta cruenta manu,
Quaue virens ſummas Helicon ſe tollat in auras
Luget vbi ſæuis fabula Muſa Getis,

Magnus

Magnus vbi Macedo primis ſe exercuit armis,
  Qui terror magni maximus orbis erat:
Hos ſum cum reliquis per plurima regna ſecutus,
  Helleſpontiaci littus ad vſq; maris.
Atq; ita longinquas abituris iunctus in oras,
  Linquo vnà ſedes Dacia culta tuas. DACIA
Vt Segedinum piſcoſaq; flumina Thyſſa, Segedinum.
  Attigimus curſu conueniente ſuo, Thyſſa
Protinus ingentem, ſed & hanc ſine mœnibus vr-
  Ingreſſi turba concomitante ſumus. (bem
Hicq; via feſſi tam longa manſimus ipſi,
  Pene quater donec Lucifer ortus erat.
Aſt vbi iam priſca rediere in corpora vires,
  Pulſus ad hac languor cùm procul omnis erat.
Nauibus vlterius conſcenſis inde per vndas,
  Thyſſa ſuſceptum continuamus iter.
Vixq; duo ſtadia hinc progreſſis claſſe parata,
  Occurrunt nobis barbara turba Getæ.
E quibus hæc alla alla ſonat, pars illa repentè,
  Conatur celeres vertere poſſe rates.
Ignitasq; alij iaciunt ceu fulmine glandes,
  Edit & informes tibia rauca ſonos.
Ingeminantq; ſonos veluti qui tartara ſeruans,
  Cerberus infernas eiulat ante fores.
Atq; ita mandato nos excepére Tyranni,
  Qui tua Byzanti mænia capta tenet.
Annectuntq; ſuas noſtris citò fune carinis,
  Ocyus vt curſus perficere inde queant.

Tittilium. Sallankem, Et iam Tittilio Sallankemenoq; relicto,
Danubius. Attigimus portus Iſter amœne tuos
Belgradum Nec multum vlterius, digreſſi hinc ecce ſuperbas,
Belgradi turres, cernimus atq; domos.
Miramur celſis extructam in rupibus arcem,
Naturam atq; ſitum commodaq; ampla loci.
Danubius ſiquidem latus alluit ipſe ſiniſtrum,
Sauus, Aſt dextrum Sauus flumine abunde rigat.
Tertia ſed foſſis pars eſt munita profundis,
Vallaq; ſunt forti vix adeunda viro.
Hei pudeat talem nōſtros tam turpiter arcem,
In Turcæ rapidas vſq; dediſſe manus.
Illa olim patriæ tutata eſt fortiter oras,
Virtute Hunniadæ facta animoſa ſui.
At nunc heu nimium dura & crudelia fata,
Pannonicæ nimis eſt noxia facta plagæ.
Inde etenim excurſus faciunt dum ſæpe frequentes
Turcæ, Pannoniæ depopulantur opes.
Illuc captiuos ceu bruta animalia pellunt,
Hactenus eſt paucis vnde redire datum.
Hosq; ibi pro precio nudato corpore vendunt,
Et durum cogunt ferre patiq; iugum.
Vnde vbi iam dictam ratibus prope venimus arcem
Quam fera Turcarum plurima turba tenet,
Vidimus haud paruam captorum vendere turbam,
In cuius numero ſexus vterq; fuit.
Vberibus matris lactans auellitur infans,
Aq̃; ſuo coniunx cogitur eſſe viro:

Illa

Illa procul Lybicas, Aſia deducitur ille,
In ſedes, nec plus pignora cara vident.
Quódque volunt vt ſæpe libet valedicere, & ipſa
Oſcula dilecto ſumere ab ore ſibi,
Impedit immitis malefidaq; turba Getarum,
Quæ iungenda feris diſtrahit ora minis.
Vnde quod his reſtat coniunx fera fata mariti,
Conſortis deflet virq; ſubinde ſuæ.
Ducuntur flentes, mortemq; ſubinde precati,
Sed mors à miſeris ſæpe vocata fugit.
Talibus hic viſis comitum pars magna meorum
Perculſa ingenti eſt ac tremefacta metu.
Sed quid agat? retro iam non conceditur inde
Ferre pedes, ſors eſt experiunda viæ.
Aduentus aderat lux hinc vbi tertia noſtri,
Membraq; erant tanta noſtra refecta mora.
Danubij lictis porrò perreximus vndis,
Intrantes terras Seruia iniqua tuas.
In quibus vt mores hominum & loca dura notaui,
Conueniens dixi quàm bene nomen habes.
Seruile hic genus eſt hominum, ſeruileq; regnum,
Cædis amans populus, conſcia fraudis humus.
Inde ſuos ortus trahit & ſæuiſſima terra,
Quæ vaſtat noſtras nocte ſilente plagas.
Illa homines furtim laribus tectiſq; paternis,
Abſtrahit, & ſæuis vendit iniqua Getis.
Diuendit, fidei Chriſti quam voce fatetur
Immemor, vltorem nec timet illa Deum.

Vtq́ per obſcuras quarum eſt ibi copia ſyluas,
Progreßi vlterius ſole fauente ſumus.
Samandria *Ecce Samandrinam procul haud aſpeximus arcem,*
Hunniadæ gratam quam ſatis eſſe negant.
Namq́ hæc à Turcis fuerat cùm capta malignis,
Lazarus Deſpotus Belgradi olim & Samandriæ. *Lazarus è regni vt finibus actus erat:*
Protinus Hunniadæ virtute eſt libera rurſum,
Facta & Deſpoto iuſſa parere ſuo.
At fortuna viris quæ fortibus inuidet vltro,
Præmia nec ſemper diuidit æqua bonis.
Banus. Campus. Merulæ. *Vertit vt in triſtem victoris gaudia luctum,*
In Merulæ campis cùm ſuperatus erat.
Indignas pridem pro libertate parata,
Hunniadæ immitis reddidit illa vices,
Namq́ Samandrina benè cum meruiſſet ab arce,
Hoſtis ad hæc prope iam, qui ſequeretur, erat.
Intra iam dicta ſe mœnia contulit arcis,
Tutum ſe credens hoc fore nempe loco.
Sæpius at mentes vt ſpes deludit inanis,
Speratisq́ diu ferre aliena ſolet.
Sic proſperata, dudum meritaq́ ſalute
Pene necem ſæuam ſæuior illa tulit.
Hoſpitis hîc etenim cùm more intraſſet in arcem,
Quem ratus eſt fidum, captus ab hoſte fuit.
Inde nec eſt miſſus, niſi nato hîc obſide licto,
Vincula pro charo qui genitore tulit.
O malè fida bonis ſors, ô propenſa malignis,
Ordine quàm verſo multa ſubinde geris.

Depri-

Deprimis innocuos, indignos tollis in altum,
Rebus in humanis neſcia habere modum.
Cæca tibi hinc meritò frons eſt, meritò tibi pennæ
Adſunt, naturæ conueniuntq; tuæ.
Mobilior vento es, folijs leuiorq; caducis,
Nec benè quid deceat cæca videre potes.
Nulla tibi iuſti ratio eſt, diſcrimina nulla
Virtutes inter, nec ſecus acta tenes.
Sed quò digredior, quò me meus impetus vrget?
Propoſiti non hæc cauſa fuere mei.
Ergo vbi iam dictam prætergreſſi ſumus arcem,
Attigimus curſus Muraua latè tuos. Muraua flu.
Tranſcenſisq; illic non ſegniter alpibus ipſis,
Nyſſæam vecti protinus inde ſumus. Nyſſæa.
In qua non multum quamuis benè feſſa morata eſt,
Noſtra cohors, reliquam carpimus inde viam.
Finibus atq; tuis iam Seruia iniqua relictis, Bulgaria
Ad Bulgariacum tendimus inde ſolum.
Cultior hæc veluti Regio eſt, tellure relicta,
Sic homines mites procreat iſta magis.
Hi quoniam ſanctè venerantur dogmata Chriſti,
Oderunt mores excutiuntq; feros.
Nec mora præcelſis tranſgreſſi mœnibus arcem,
Nomina de Pyrro quæ ſua Rege tenet. Pyrrhota.
Ocyus ad Sophiam celebrem properauimus vrbem, Sophia.
Dimidium noſtræ nempè erat illa viæ.
Attigimus quam cùm per apertos vndiq; campos,
Obuia fit nobis Turcica multa cohors.

Noſq; in prædictam deducit protinus vrbem,
In nos qua vultus flexit vbiq; ſuos.
Mirandi ſtudio, ſed dum retinemur vtrinq;
Incola fortè aliquis talibus orſus ait.
Ecquis erit finis tanti Germania ſomni?
Deſidiaq; tua dicito quiſue modus?
Siccine perpetuo ſtertes madefacta Lyæo?
Et ſurda ſpernes quoslibet aure ſonos?
Spernis, ſed nimium vereor ne tempore paruo,
Aerumnas doleas plena ſopore tuas.
Pannonia an quæſo eſt tibi tellus iunctior vlla?
Hoſtibus eſt quæ iam facta rapina tuis.
Nil moueare tamen, nec te mala proxima terrent,
Si ſapis, alterius diſce cauere malo.
Aſt opibus polles, nec cedis viribus vlli,
Victor ad hæc de te rara trophæa tulit.
Crede mihi, non eſt tenor vnus ſortis vbiq;
Sæpe fouet quos poſt acrius illa premit.
In tua ſi tibi nunc vtendum viſcera dextra,
Eſſet, plus Argo ſtulta oculata fores.
Graſſantes patriæ medijs, ſed cernere in oris
Non potes impuros reddita bacca Getas.
Et pudeat Solyma, quos quondam pellere ab arce
Audebas, tectis tam prope adeſſe tuis.
Aduerſi veniunt illi per fluminis vndas,
Tu pronis contra hos non potes ire vadis.
En ego confectus, quamuis ſim pene periclis,
Nec mihi quod reſtet, ſit niſi ſumma dies.

Spe

Spe tamen hac ſemper fretus ſum, ſcilicet ipſos
Chriſticolas nobis ferre decenter opem.
Inter quos primos Germanos ſæpe putabam
Ipſe fore, imperij cùm modò ſceptra gerant.
Sed nunc ô nimium fallax perſuaſio ſemper,
Vt video ſpes me luſit iniqua ſatis.
Diuitijs plenam nam cùm defendere nolis
Pannoniam, & iunctum tam prope quæſo ſolũ.
Impuros procul hinc à nobis quando repelles
Turcas, incolimus qui vlteriora magis?
Difficile externis hoſtem perquiret in oris,
Tuta ſatis ſua qui reddere tecta nequit.
Dixerat ex imo ducens ſuſpiria corde,
A nobis vultus vertit & ille ſuos.
At nos quos vrbis non parua cupido tenebat,
Hoſpitiis ingreſſi tecta propinqua ſumus.
Hacq; dies aliquot ſed dum cunctamur in urbe,
Et data luſtrandi hanc copia maior erat,
Progreſſi hoſpitio per compita plurima paſſim,
Vidimus hac dignum quicquid in vrbe fuit.
Nulla domus celſas imitans, hic cernitur arces,
Sed tenues nullo pene decore caſæ.
Atria non illic, non ſplendida tecta, nec vllus,
Qui timidam poſſet claudere murus adeſt.
Deniq; nil muris extructum apparet in illa,
Balnea ſi demas paucaq; templa Deum.
Solaq; coctilibus ſtant diuerſoria ſaxis
Edita, ſed raris conſpicienda locis.

Cætera

Cætera ſunt lignis compacta lutoq́ tenaci,
Digna magis brutis, quàm ſubeunda viris.
In tamen his habitant Turcæ & Bulgarica turba,
Afflicta eſt quæ non preſſa nec vlla magis.
Vltra etenim decumas trimeſtri quolibet vnum,
Cogitur è denis reddere mæſta virum.
Atq́ ita ſæpe ſuo priuatur nupta marito,
Cogitur & nato ſæpe carere parens.
Sæpe ſuum fratrem, frater ſibi deflet ademptum,
In ſtructum poſitus ceu foret ille rogum.
Sed fruſtrà ſiquidem mens eſt immota Tyranni,
Nec libertatis ſpes datur vlla magis.
Vnde ita collecti varias ducuntur in oras,
Dirum vbi Gradiui bella repoſcit opus.
Qui tamen imbelles nec ſunt ad prælia firmi,
Hortorum ad cultus hi rediguntur ibi.
In quibus innumeros coguntur ferre labores,
Frigora cumq́ æſtu diſcere dura pati.
Vna dies tamen his è ſeptem libera licta eſt,
Quam Veneri ſacram dicimus eſſe Deæ.
Illa ſe varijs exercent artibus ipſi,
Ad ſæui faciunt, quæ niſi Martis opus.
Hic ſcuto hoſtiles ictus eludere diſcit,
Quaq́ hoſtem contra parte ferire queat.
Arcus aſt alius curuat, tenditq́ ſubinde,
Emittens certa noxia tela manu.
Letiferaq́ iacit pars plurima arundine glandes,
Ipſa quibus ſuperat fulmina pene Iouis,

Copi

Copia non vllo Turcis hinc tempore deſit.
  Horum quîs nomen ianua forte dedit.
Namq́; his tutatur Getici cùm ianua Regis,
  Ianzaros merito barbara turba vocat.
Iſta, ſed hîc valeant, nec enim ſi ſingula vellem,
  Carminibus poſſem pene referre meis.
Vnde vbi iam feſſos curſu recreauimus artus,
  Conueniens noſtræ tempus, eratq́; viæ.
Vlterius porrò vecti ſumus inde per Hemi
  Montes difficilem qui peperere viam.
Eſt locus in ſumma ſitus illic vertice montis,
  Grata vetuſtatis qui monimenta tenet.
Continet hîc celebris veſtigia plurima ſedis,
  Pannonici cuſtos quæ fuit ante ſoli.
Namq́; fero fuerat cùm Græcia tota tumultu,
  Succenſa ac armis plus agitata ſatis.
Hoc veluti regni quod clauderet vltima quondam,
  Extruxit priſcus Rex Ludouicus opus.
Impoſuitq́; illi à claudendo nobile nomen, Kliſura noua, q. clauſura noua.
  Nomen quod noſtros manſit adusq́; dies.
Pannonicæ fines ergo cuſtodijt illud?
  Et noſtris quondam meta ſuprema fuit?
O fatum inuiſum quàm longe à finibus illis,
  Pannoniæ nunc ſunt regia ſceptra domus.
Huius ſed prætergreſſi ueſtigia ſedis,
  In Macedum ducti regna ſuperba ſumus.
In quîs ciuili conſperſos ſanguine campos, MACEDONIA.
  Vidimus & tumulos qui periere Ducum,

Cæſaris

Cæſaris hîc fuerant, Pompeij caſtra, ſed illic
In medio campus ſtragibus aptus adeſt.
Vtq; locus cædis demonſtrat prælio in illo,
Iurares totum penè fuiſſe genus.
Omne decus rerum, ſed vt inuida deſtruit ætas,
Et malè deformat quodlibet artis opus.
Nulla legi poſſunt ſuperaddita verba ſepulchris,
Vsq; adeò longa ſunt ea trita mora.
His itaq; hîc viſis celebrem properamus ad vrbem,
Autoris, quæ de nomine nomen habet,
A Macedum Rege, hæc nam cùm ſit ſtructa Philip-
Philippopolis. *Iure Philippopolis dicitur illa ſuis. (po;*
Olim opibusq; virisq; potens, inſtructaq; Pauli
Scriptis de veri cognitione Dei.
Aſt nunc de tanta vix rudera ſede ſuperſunt,
Talia vix bene quæ nomina ferre queunt.
Sic fortuna potens Regales ſæpius arces,
In miſeras vertit facta inimica caſas.
Manſimus hîc vna tantummodò nocte, futurò
Adrianopolis. *Eſt Adrianopolis clara petita die.*
Hæc quoq; ſit quamuis hodie ſatis ampla potensq;
Nominibus valeat, diuitijsq; ſatis.
Dum tamen Imperium Romani vtrumq; tenebant,
Amplior hac multo clara magiſq; fuit.
Ipſæ hoc antiquæ teſtantur namq; ruinæ,
Quæ paſſim lata conſpiciuntur humo.
Hîc celebris pons eſt Adriano Cæſare quondam,
Structus, Strimonias qui tegit altus aquas.

Non

Non ſumus vllius hic ingreſſi tecta, ſed extra
Muros hoſpitium campus amœnus erat.
Inter & excultos illic requieuimus hortos,
Flumine quos largo Strymonis vnda rigat.
Perq́; dies aliquot recreati hic largiter ipſi,
Quod reliquum eſt noſtræ carpimus inde viæ.
Thracia reſtabat Conſtantiniq́; benigni Thracia. Conſtantinopolis.
Vrbs, opibus celebris nomine clara ſatis.
Euxini prope quam conſtructam littora ponti,
Attigimus ſexta prætereunte die.
Partibus alluit hanc ſæui maris vnda duabus,
Quod ſupereſt tellus vendicat ipſa latus.
Cingitur hoc duplo muro foſſisq́; duabus,
Cætera ſunt ponti clauſa decenter aquis.
Fama, ſed aduentus noſtri vt peruenit ad aures,
Zultani tota ſparſa & in vrbe fuit,
Obuia fit nobis Turcarum plurima turba,
Accipit & iuſſu nos Ducis illa ſui.
Nosq́; iubet dictam quàm primùm pergere in vrbē,
Amplior eſt qua vix vlla potensq́; magis.
Et nunquam procul aſpiciens, non pauca vetuſtæ,
Famæ viſurum te monumenta putes.
Vt tamen ingreſſi ſumus hanc, memorabile nullum
Vidimus à priſcis quod ſupereſſet opus.
Vſq; adeò à ſæuis ſunt diruta cuncta tyrannis,
Vt pateat vix quo ſtructa fuere loco.
Adde quod ex lignis tantummodò Turcica turba,
Omnia quæ reſtant ædificanda parat.

Scilicet haud dignis, qui grandia tecta frequentent,
Abditus eſt ſatis his exiguusq́ locus.
Antra feræ ſyluasq́ colant nemorumq́ receſſus,
Vſibus humanis eſt magis apta domus.
Hoſpitis ad noſtri ſed vbi peruenimus ædes,
In quibus ad quartam manſimus vſq́ diem.
Zultani noſtris cum donis ocyus aulam,
Ingreßi ſtudio conueniente ſumus.
Non hæ magnificæ ſtructæ ſunt inſtar ad arcis
Conſpicienda nec hîc vlla theatra patent.
Ampla domus ſatis eſt, hortis magis apta decoris,
Grata voluptati quæ loca multa tenet.
Quattuor in latera & cùm ſit conſtructa decenter,
Ambitus è picto huic marmore pulcher adeſt.
Quin & odorifera hîc q̃ plurima cernitur arbor,
Et ſua cum Venere hîc munera Phœbus habet.
Hoc conſtructa modo Getici ſtant tecta tyranni,
Plurima Turcarum quæ fera turba colit.
Namq́ latus cingens, tam ſæui turba latronis,
Diuiſa in partes cernitur eſſe duas.
Ipſi vna Sulacbi, Ianzaris ordine iuncti,
Vaiuodæ reliqua parte videntur ibi.
Quæq́ illic reſtant ſæuo loca proxima Regi,
Crudeles Baſſæ, Zantiaciq́ tenent.
A quibus excepti, in terram diſcumbere iußi,
Turcarum ritu protinus inde ſumus.
Protulimus regni ditißima munera noſtri,
Qualia non vllus viderat antè Getes.

Ar-

Argenti ſiquidem non vili pondere maſſas,
Atq; auri obtulimus multa talenta Getis.
Arteq; contextas veſtes auroq; rigentes,
Aureaq; artifici pocula facta manu.
Tum iuſsi Getico de more procumbere terræ,
Sumpſimus è ſtratis prandia larga toris.
Nec mora multa ferunt mitrati fercula Turcæ,
Nosq; hilares Geticis vocibus eſſe iubent.
Implentur cyathi dulci pro nectare lympha,
A Turcis vini nam procul vſus abeſt.
Nulla igitur noſtras tetigerunt gaudia mentes,
Nec lætum è triſti reddidit vnda virum.
Viuat in æternos precor hinc fœliciter annos,
Dulcia qui præbet vina bibenda mihi.
Hæc ego dum pleno gratiſsima ſuauiter ore
Haurio, ranarum balnea linquo Getis.
Protracta in longum non ſunt hinc prandia nobis,
Prandia quæ innumeros mox peperere metus.
Namq; cibo ablato, capita à ceruice reuulſa,
Apponunt nobis ſanguinolenta Getæ.
Oſſaq; cæſorum fluido canentia tabo,
Impia quæ rigido ſtrauerat enſe manus.
Diriguere comæ noſtris, horrorq; per artus
Diffuſus, magno concutit oſſa metu.
Ipſi etiam vultus, vita, ſenſuq; carentes,
Sunt viſi indignum hoc erubuiſſe nephas.
Nulla Getis ratio eſt virtutis, nulla pudoris,
Quæq; velit victis parcere nulla manus.

Interea ſed dum deliberat vſq; tyrannus,
Qua vice reſponſi reddere iuſſa velit.
Imus diſperſi nullo cuſtode per vrbem,
Spectatum à priſcis ſi quod adeſſet opus.
Vidimus hîc Sophiæ quondam venerabile templum,
Vidimus haud noſtri temporis illud opus.
Quod nunc infectum Getica impietate nephandũ,
Cogitur & diris cultibus eſſe ſacrum.
Vidimus & ſtatuas veterum monumenta gerentes,
Quarum vna in latere hæc verba notata tenet.
Difficilis quondam dominis parere ſerenis,
Iuſſus & è victis palmam portare tyrannis,
Omnia Theodoſio cedunt ſobolíq; perenni,
Ter denis ſic victus ego domitusq; diebus,
Iudice ſub Proclo ſuperas elatus ad auras.

Eſt etiam ſerpens hîc triplex æneus, arctè
Cui ſunt in varios membra voluta ſinus.
Viſa ſed vt nobis tanta ſunt ſingula in vrbe,
A priſcis hodie quæ ſupereſſe putant.
Ocyus vndiſoni conceſſi ad littora ponti,
Galatha. *Perq; maris Galatham ſum rate vectus aquas.*
Hîc quoq; quot belli tormenta ſine ordine vidi,
Fulmina vix ſuperis tot ſupereſſe reor.
Vlteriusq; parum fido comitatus amico,
Progreſſus ponti per nigricantis aquas.
Ducentas bellis naualibus, ecce triremes,
Aptas conſpicio militibusq; graues.

Im•

Imperat hic ruffa geſtans cognomina barbæ,
Copia ſpectandi tum data cuius erat:
Carolus è Lybicis quem profligauerat oris, Barbaroſſa.
Adijcit imperio dum noua regna ſuo.
Atq; vtinam duros totis ſic viribus olim
Sterneret inuictus Carolus ipſe Getas.
Septaq; iam tandem laceri repararet ouilis,
Immanes arcens quàm procul inde lupos.
Illius hic certè iam iam virtute domandi,
Et ſeruanda armis Pannonis ora foret.
Me miſerum cur hunc ciuilia bella morantur,
Nec dant imperij reſtituiſſe decus?
An quia ſic miſeros impunè perire neceſſe eſt?
Et ſtatuunt totum perdere fata genus.
An quia regnorum mutatio magna futura eſt?
Exitio multis quæ ſolet eſſe viris.
Quicquid id eſt certè quod te diuine moratur,
Illud idem nobis plurima damna parit.
Cernis enim vt ſæui nullo prohibente Tomitæ,
Imperij vaſtent plurima regna tui.
Oraq; cœleſtis cernis lugubria ſponſæ,
Quam parat immani perdere cæde Draco.
Illa vdis circum nunc vndiq; ſpectat ocellis,
An ſit qui miſeræ ferre laboret opem.
Sed tamen infeſto iacet obuia præda Draconi,
Qui triſti inſidias nocte dieq; parat.
Nec quenquam te præter habet quo vindice ſperet,
Qui velit & poſſit ferre ſalutis opem.

Cuius ſi qua tuam generoſam Carole mentem
Cura tenet, certè vt maxima cura tenet.
Ocyus inuictas vertas huc Carole turmas
Quoſq; licet, libeat dummodò perde Getas.
Herculis exemplo Cacus ferus is tibi reſtat,
Sternendus forti prævalidaq; manu.
Tu modò ceu Samſon rictus diſcinde leonis,
Dulcia victori qui tibi mella ferunt.
Inde tibi nomen, ſed quid de nomine dico?
Gloria præ reliquis quod tibi parta dedit.
Inde tibi diuos honor inter habebitur illos,
Ad latus eſſe alti qui meruere Dei.
Sed quò nũc iterum cœptis digreſſus aberro?
Vires dante Deo Carole victor eris.
Claſſe igitur viſa, per Ponti tranſuehor vndas,
Ad loca quæ hoſpitio iuncta fuere meo.
Iamq; domũ ingredior cùm Turcæ protinus adſunt,
Ad reſponſa citò qui properare iubent.
Nec mora, collecti ſimul illuc pergimus omnes,
Impia qua Getici panditur aula ducis.
Perceptiſq; illic iuſſiſq; miniſq; tyranni,
Quæ veheret retro legimus inde viam.
Suadebat pietas ſceleratas linquere terras,
Suadebat patris iuſtus & acer amor.
Iamq; tibi expoſui ratio quæcunq; locorum,
Per Geticas noſtro ducat ab axe vias.
Si tamen & mores eſt quædam noſſe voluptas,
Et quibus hæc rebus gens truculenta vacet.

Accipe ſed breuibus, quis enim mala cuncta referre
Quæ gens exercet dijs inimica poteſt?
Vt vultus natura feros, ſic contulit illis
Ingenium, quo nil ſæuius eſſe poteſt.
Horrida vox illis, ad clades prona voluntas,
Factaq́; non vna dextera cæde nocens.
Ruris opes parcæ, nam vomere ſcindere terram
Dedecus, ex rapto eſt vita fouenda Getis.
Accendunt animum partæ iam ſæpè rapinæ,
Quodq́; volans dirum miſſile virus habet.
Erigit & mentes tolerantia magna laborum,
Quodq́; famem ferre & iam didicere ſitim.
Elatosq́; facit non ſegne in vulnera ferrum,
Atq; alios curſu vincere doctus equus.
Sæpè hinc excurrunt, externaq́; regna pererrant,
Sollicìti multis ſunt quoq; cauſa metus.
Vtq́; lupus teneras nullo cuſtode vagantes,
Aut vorat, aut turbat, ſanguinolentus oues.
Terrarum varias ſic illi ſæpius oras
Turbant, ac ſtricto quoslibet enſe necant.
Quæq́; fero nequeunt ſibi ferro ſubdere, flammis
Attentant rigidi, barbara turba, Getæ.
Inde nec ingenti niſi præda fortè potiti,
Ad patrias redeunt ſordida tecta caſas.
In queîs diſtribuunt partas modò cæde rapinas,
Sanguine quæ multo commaculata madent.
His igitur vitæ ſtudijs alimenta parantes,
Deſpiciunt terræ munera cuncta ſua.

Non ager his colitur,Bacchi nec munere gaudent,
Linquitur hæc Graijs anxia cura viris.
His colitur tellus,ager his,ac vinea cura,
Et quæ præterea ſunt ibi ruris opes.
Hi faciunt dulces tellus vt procreet vuas,
Et turpi careat terra benigna ſitu.
Omnibus inuigilent curis ſed quamlibet ipſi,
Nec fructus tellus deneget ipſa ſuos.
Poſſet & hos inter diues fore ruſtica turba,
Poſſidet hæc præter nil alimenta tamen.
Tot ſiquidem cenſus, tot munera ferre quotannis
Cogitur impuris plebs miſeranda Getis.
Vt præter victus quicquam vix amplius vſum,
A duris teneat poſſideatq́; Getis.
Non ibi iuſticia, non eſt reuerentia legum,
Mens niſi quam pœna præſtat adacta metu.
Iura timore colunt, ſed talia, qualia Thraces
Tunc coluiſſe etiam Naſo poëta refert.
Viuendi ratio pecuinæ proxima vitæ eſt,
Quiq́; poteſt multum ſæpè nocere, placet.
Et tamen humano referunt in corpore vultus,
Quos hominum rectè membra decere putes.
Sic adeò non ſunt crudeli pectore multi,
Fortuna vt nolint commodiore frui.
Quin etiam laudant noſtræ commercia vitæ,
Lætaq́; ciuili tempora pace probant.
Hoc mihi Germanus ſic rettulit vnus & alter,
Quos vidi, & dolui vincula ferre pedum.

Et

Et quis non mallet pacem præferre Gradiuo?
Qui, niſi iudicij, qui, niſi mentis inops.
Quis non tranquillos cum coniuge ducere ſomnos
Malit, & excluſo Marte, quiete frui?
Quàm lites aut bella ſequi, quàm more ferino
Viuere, & authoris neſcius eſſe ſui.
Hoc dictat natura Getis, qui viuere in armis,
Seruitij diſcunt lugubris eſſe genus.
Quem metuunt, odêre ſimul, cuperentq́; tyranni
Excutere, & longè triſte fugare iugum.
Inde petunt noſtras tantis ardoribus oras,
Pannonios iuſſi dum populantur agros.
Non quòd bella ſequi ſemper ſit grata voluptas,
Sed victu cupiunt quòd meliore frui.
Inuitant miſeras Cerealia munera gentes,
Quicquid & ad victum præbet opimus ager.
Arma quibus noſtri ſi fortius obuia ferrent,
Continuò facerent in loca nuda fugam.
Magna ibi commoditas fugientes ſternere, & vltrò
Agmina captiuis ducere multa choris.
Adde quòd Iſtriaci Belgradi à finibus vſq;
Ad loca quæ rapidas Boſpherus arctat aquas,
Non locus eſt vllus, quo Turca reſiſtere poſſit,
Ad maris Eoï ſtare coactus aquas.
Talia Germani reducem iuſſere referre,
Quàm latè pandit Theutonis ora ſinum.
Quorum vnus, veſtras tantùm coniungite vires,
De Getico vobis hoſte triumphus erit.

Et ceſſamus adhuc toto deſcendere Marte,
In gremium Getici Sarmaticiq́; ſoli.
Ante fores poſitos ceſſamus inire triumphos,
Et capere ante ipſas certa trophæa manus.
Sed nec ſurda meo tentabo pectora verſu,
Hei querulo toties quid iuuat ore queri?
Magnus idem fruſtra Muſis Huttenus & armis,
Magnus idem fruſtra præſtitit Heſſus opus.
Stigeliusq́; vndas dum nobilitatus ad Iſtri,
Inclyta magnanimi Cæſaris acta canit.
Sat mihi ſit monſtraſſe vias, aditusq́; locorum,
Arma alij cieant & graue Martis opus.
Ne quæras igitur fatis quibus ipſe reuerſus,
Attigerim patrios candide Lector agros.
Nos Deus incolumes duce quo iſtuc iuimus, idem
Inde per hoc ſaluos triſte reduxit iter.
Ergò quòd effugi Geticæ crudelia gentis
Pectora, confiteor munus id eſſe Dei.
Cui perago dignas finito carmine grates,
Et precor in Turcas vltor vt eſſe velit.
At tibi qui noſtræ legis hæc monumenta Camœnæ,
Vt viuas Getico tutus ab hoſte precor.

HYPOMNEMATA HODOEPORICA,
NATHANIS CHYTRAEI.

A Patrijs quicunq; procul diſcedere terris
Et varias mundi vis peragrare plagas,

Non

Non nimium propera, cauto ſed ſingula corde,
Et quid agas, ſapiens quod facit, antè vide.
Inprimis varios caſus & mille pericla,
Et propone animo multa ferenda tuo:
Aeſtus ſæpè tibi, tibi frigora ſæpè nocebunt,
Iam nix dura tibi, iam grauis imber erit.
Non etiam lauta ſemper tactabere menſa,
Molliculus ſemper nec tibi lectus erit.
Stramine vel ſcamno, vel humi perſæpè cubabis,
Sæpè tibi ſitis eſt, ſæpè ferenda fames.
Et licet his careas, animo tamen omnia voluens,
Non ita tranquillo pectore ſemper eris.
Mox metuet fures, ſæuos lux orta latrones,
Hoſte tibi duro durior hoſpes erit.
Hos quicunq; nequis, ſimiles & ferre labores,
Aut tibi ſi riſus deliciæq; placent:
Te iuuet in medias ſomno turgeſcere luces,
Semper & ad patrij tecta ſedere foci.
Ingrediantur iter fortes, aptiq; labori,
Abſtineant molles deſideantq; domi.
Hac ſi parte vales, tibi quæ meditanda deinceps,
Cæteraq; vt rectè ſint peragenda rogas?
Si cum laude cupis cœptos finire labores,
Ante peregrinis diſce notanda locis.
Ne ſimilis dicare grui, trans æquora vectæ,
Quæ fugit inſipiens, inſipiensq; redit.
Non tantùm lapides videas, ædesq; ſuperbas,
Hæc etiam ſtolidum cernere vulgus amat.

Sed

Sed mores,animosq́, hominum,poſitusq́, locorum
Priſcaq́,factorum,ſigna notasq́, vide.
Egregiosq́, viros,tibi conciliare labora,
Qui tibi quàm lapides commoda plura ferent.
Hinc vſus rerum,vera & prudentia creſcit:
Hinc placidi mores ingeniumq́, venit.
Hæc tibi cum cauto ſunt præmeditata labore.
Vt tibi ſit nummis plena crumena vide.
Deficit ignotis cui certa pecunia terris,
Non facilè is cœptum continuabit iter.
Non tamen hanc ſemper te circumferre iubebo.
Hic tibi Chirographi tutior vſus erit.
Et mercatores illa te parte iuuabunt,
In varijs quorum nomina nota locis.
Hac quoq́, proſpectum fuerit cum parte, tabellam
Fac habeas orbis quæ loca picta notet.
Iſta viatoris Dux eſt,oculusq́,,ſine illa
Cæcus in ignota progredietur humo.
Hinc etiam comitemq́, viæ ſociumq́, laborum
Elige,ſæpè vni non benè ceſſit iter.
Sit tamen is talis certò cui fidere poſſis,
Cuius tu mores noueris,ille tuos.
Conditione pari tecum qui viuere poſſit,
Atq́, eadem,quæ tu,qui ſtudioſus amet.
Hunc vbi nactus eris,patriasq́, reliqueris vrbes
Impiger,æterno cætera crede Deo.
Inprimis lux orta nigras,cùm vicerit vmbras,
Commenda Domino teq́, viasq́, tuas.

Vt

Vt tibi ſit cuſtos cunctis ſacer angelus horis,
Caſtraq́; te circum non violanda locet.
Vtilis & quoniam cuiq; eſt aurora labori,
Cur nequeat longis vtilis eſſe vijs?
Ergò tuas cum ſole vias, prima incipe luce,
Et cane ſidereo carmina grata Deo.
Vt prius ad ſummum quàm ſol peruenerit axem
Maxima ſit cœpta pars ſuperata viæ.
Nec tibi ſit noctu proficiſci inſana cupido,
Lucis opus labor eſt, noctis amica quies.
Antè igitur quã Phœbus equis iuga fumida ſoluat,
Hoſpitij certas ingrediare domos.
Sæpè aliquis noctis miſerè tractatus in vmbris,
Non potuit nitidum manè videre diem.
Hoſpitium ingrediens calidus motu atq; labore,
Vt libet haud ſubitò pocula plena pete,
Ne feruente mero, feruenti in corpore febres
Accendas, paulùm eſt hæc remoranda ſitis.
Gallorum inprimis Italas vel iturus ad vrbes,
Sobrius & cauto noueris ire gradu.
Fortia vina nocent, Bacchum tibi lympha calentẽ
Mitiget, & calidum diluat vnda merum.
Cogeris Alpinas quòd ſi tranſmittere cautes,
Proderit hybernas anteuenire niues,
Nam cùm ſæuit hyems, magnis nix lapſa ruinis,
Perſtrepit & ſolitas obſtruit alta vias.
Sæpè etiam rigidas, ventis perflantibus alpes,
Montibus è ſummis nix glomerata ruit.

Hor-

Horrendo ſtrepitu, & tam vaſtæ turbine molis,
Vt procul è cœlo fulmina miſſa putes.
Tunc veluti de monte alius ſe præcipitet mons
Nix ruit & ſecum præuia cuncta rapit.
Heu mihi, quàm multi vitam his liquêre ſub oris,
Hannibal haud ſolus, qui tulit iſta, fuit.
Frigus ibi tantum, ſilicem quod findere poſſit,
Quo multi ſubitò diriguere gelu.
Quorum vere nouo, vel prima æſtate, reperta
Corpora ſunt, liquida ſemiſepulta niue.
Non ignota cano, ſimili me penè ruina
Perdidit in ſolis nix violenta locis.
Quod nunc angelico liber tibi munere ſcribo,
Exemplo vt poſſis cautior eſſe meo.
Rectius omninò non ſe obiectare periclo,
Rectius omninò eſt funera nolle ſequi.
Si tamen officij, aut ſortis ratione neceſſe eſt,
Carpere tam duræ conditionis iter.
Non niſi clara dies niteat, ventiq; ſileſcant,
Nec niſi cum fido per iuga ſcande duce.
Scande etiam tacitus, quando ſonus impulit auras,
Hîc tibi vox multum parua nocere poteſt.
Pendentes ſæpè illa procul de vertice rupis
Concitat, auulſas præcipitatq; niues.
Quin volucris moto quandoq; leuiſſima ramo,
Exitio indigenis hoſpitibusq; fuit.
Hæc tibi ventoſas ſi ſit labor ire per Alpes,
Diximus: ad reliquum iam redeamus iter.

Non

Non cuiuis etiam qui ſis aperire neceſſe eſt,
Quoq; abeas, cœpta quæ tibi cauſa viæ.
Crede parum, non ſperne alios, nõ decipe quenquã,
Ni ſit opus verbis cautus vbiq; tace.
Plurima damna creat patulo ſibi garrulus ore,
Quæ poterat clauſis præterijſſe labris.
Non etiam rixas aut ſæuas incipe pugnas,
Si cupis ex illis viuus abire locis.
Vt regio ſic eſt animus feruentior illis,
Vindictam vitæ præferet ille ſuæ.
Cede igitur potius, cedendo vt vincere laus eſt
Maxima, ſic illis eſt quoq; rara locus.
Quæ poteris lauda, contraria carpere noli,
Sic placidus verbis, pectore cautus eris.
Cum doctis verſare libens, & plurima diſces,
Olim etiam canis grata futura tuis.
Hi tibi iura loci, mores, ritusq; ſacrorum,
Hi poterunt patriæ facta referre ſuæ.
Illos dum reliqui ſtrepitu & clamore laceſſunt,
Inq; Schola cathedris ſæpè ſilere iubent:
Tu velut ex animo caros venerare parentes,
Eloquio quorum diſcere multa potes.
Cautus in hoſpitijs inprimis eſſe memento,
Hîc quoq; ſub blando melle venena latent.
Hîc genus Autolyci regnat, bonus exulat omnis,
Tu ſerua loculos hîc & vbiq; tuos.
Nec nummos numerato alijs ſpectantibus, vnũ hoc
Heu mihi quàm multis exitiale fuit.

Plu-

Plura his Fabricius fido te præmonet ore,
Inſpector quorum ſedulus ipſe fuit.
Me ſatis hæc breuibus pingui monuiſſe Mineruæ,
Fortunæ & curæ cætera linquo tuæ.

FINIS.

AD

AD ILLVSTRISSIMOS PRINCIPES AC DOMINOS, Dominum Iohannem Fridericum, D. Bugislaum, D. Erneſtum Ludouicum, D. Barnimum, & D. Caſimirum, Fratres, Stettini, Pomeraniæ, &c. Principes, Dominos ſuos clementiſsimos,

HODOEPORICON NATHANIS CHYTHRAEI.

VT Deus æthereâ ſapiens & iuſtus in arce,
Eſt clemens ſimul, & victa placabilis ira:
Sic Princeps bonus, æterni qui Regis imago eſt,
Illiusq́ vices ſubiecto ſuſtinet orbe,
Virtutum radijs in mundo fulget ijſdem.
Ille Dei munus, terræ admirabilis, heros
Sidereus micat, & ſceptri fulgore coruſci
Eminet: illum omnes cum relligione verentur,
Agnoſcuntq́ ducem, & faciles lætiq́ ſequuntur.
Ille manu pacem placida, legesq́ tuetur,
Armataq́ idem bellum, ſæuosq́ tumultus,
Affectu cohibet patrio: quo ſoſpite, ſoſpes
Gens ſubiecta manet: tenerosq́ educere natos
Læta poteſt, veraq́ ſuos pietatis amore
Imbuit, & vitæ ſpecimen proponit honeſtæ.
Hinc quandoq́ bonos ſperat ſibi patria ciues:

O *Templa*

Templa ſcholæq́; vigent: ſegetes, mare, flumina ri-
Lætitia exultant Muſæ: pax aurea regnat: (dent:
Prælia communes, ſi ſint, vertuntur in hoſtes.
O te fecilem, Pomerania, terq́; beatam,
Cui tales virtute duces, ſator optimus orbis,
Eximios multosq́; dedit, quid clarius illo
Munere, quo toto nihil eſt optatius orbe?
Quis veſtri patris, ô claræ ſacra lumina ſtirpis,
Materni qui nomen aui mentemq́; Philippi
Rettulit, immenſo laudes ignorat in orbe?
Facta Ratislai, Barnimi encomia Magni
Quem lateant? an magnanimi quis neſcit Erici
Sceptra? quater denos quib. inuictiſſimus annos
Danorum imperiū tenuit, Sueonūq́;? quis vnquam
Virtutes proaui vt par eſt, deſcriberet? hic eſt
Ille Bugislaus, qui præſtantiſſimus heros,
Virtutem comitante ducem, felice laborum
Succeſſu, erexit patriam, priſcoq́; vigori
Reſtituit, ſero princeps memorabilis æuo.
Ecquid vbi auditis, veſtrorum ſplendida patrum
Nomina, victricesq́; manus, exemplaq́; vitæ,
Sentitis tacitas generoſo in pectore flammas?
Naturæ ſtimulos magnæ, & ſplendoris auiti,
Macte animi virtute, pares maioribus olim
Sic eritis, quorum fauſto veſtigia greſſu,
Vos cum laude ſequi, varijs iam rumor in oris
Spargitur. vt celſis nocturna in turribus ardens
Flamma latere nequit: ſic lethi neſcia virtus

Emicat, & magnum radios diffundit in orbem:
Sollicitoq́; ſui multos accendit amore.
In quorum numero non me poſtrema tenere,
Teſtis erit tenuis, vobis quem mitto, libellus,
Egregij bonitate duces. deſcripſimus illo,
Anglorum, Galliſq́; procul, regniſq́; vetuſtis
Italiæ, & reliquas paſſim quæ viſa per vrbes.
Quæ quia vos illis ipſi ſpectaſtis in oris:
Atq́; his plura quidem (quis enim ſe conferat illis?
Cuncta quibus recluſa patent, totumq́; per orbem
Quos omnes merito faciles dignantur honore.)
Non ingrata eadem vobis fore miſſa putaui.
Si placet ergo meis faciles dare verſibus aures,
Audijt è cathedra noſtrum quos ante Lyceum:
Accipite hæc, fortiq́; manu defendite, veſtro
Tuta patrocinio ſi ſint, nihil amplius optant.

AD veteres iam nunc operas, ſolitoſq́; labores
Cùm redeam, mediterq́; nouis exordia cœptis,
Vt mos eſt, vſuſq́; ſcholæ, tempuſq́; requirit:
Curriculum tibi docta meum recitabo iuuentus,
Fortunamq́; viæ, Belgas regnumq́; Britannum
Dum peragro, Galloſq́; adeo, genteſq́; remotas
Italiæ, patriæq́; meæ dum tecta reuiſo.
Vos, ſi iuſta peto, facilem ſermonibus aurem,
O iuuenes adhibete meis, iuuenumq́; magiſtri,
Doctores patreſq́; ſcholæ. faſtigia rerum
Summa ſequar: breuitas cùm tēporis omnia vobis

Commemorare vetet, nec opus ſit ſingula dici.
Tempus erat, dux ſigniferi cùm portitor Helles
Lampade Phœbea candens, aperire rigentes
Incipiebat agros, & prata virentia lætis
Graminibus, ſyluasq́; comis veſtire tenellis,
Quando iter ingrederer, ſocijs comitatus amicis,
Supremoq́; vale dicto curruq́; receptus,
Cum gemitu tales effudi ad ſidera voces.
Longum iter incipio, nec quo me fata reducant
Tempore, quæq́; meos maneat fortuna labores,
Prævideo: dux Chriſte, meos tu dirige greſſus.
Vos quoq; Varniades quondam mea gaudia Muſæ,
Si vos mente pia colui: proſtratus in vmbra
Arboris, ad veſtras ſi quando carmina ripas
Cantaui meditans: veſtros ſi fidus honores
Aſſerui quandoq;, meas audite querelas,
Rectoremq́; poli precibus placate profuſis,
Soſpes vt ignotis vitam traducere terris,
Mente valens, ſaluisq́; queam cum corpore rebus.
Tunc ego corde pio vobis, quas debeo grates,
Perſoluam, & veſtras quæ ripas quercus inumbrat,
Quercus amata mihi, & noſtræ non inſcia vocis,
Hunc gladium, leuesq́; ocreas, poſitumq́; galerum,
Pro reditu voti ſuſpenſum munus habebit,
Dum loquor antiquis Doberanum nobile tumbis
Heroum procerumq́; domus Meglaburgia quōdam
Ex ſe quos genitos patrijs hîc intulit vrnis,
Templaq́; cernuntur Bernardi ſacra cucullo

Quon-

Quondam, nunc ſummi laudes reſonantia Chriſti. Duces Megapolenſes
Nos Ducibus qui nunc Herulos Henetosq́, guber-
Iohanni Alberto, quo non præſtantior alter (nāt,
Doctrina: & fratri Vlrico virtute fideq́,
Eximio, optantes longæui Neſtoris annos,
Pergimus vlterius. ſed nec tua Vuiſmare tecta,
Lubeciq́, arces, nec celſæ mœnia Lunæ,
Hammonisq́, domos, non propugnacula Bremæ,
Non Amaſis quæ nomē habet, viridemq́, Groningā,
Regneriq́, ſcholam (breuis eſt vna hora) canemus.
Quæ placuere quidem præconiaq́, ampla merentur
Singula, ſed quoniam vicina & nota videntur:
Et noſtræ nil laudis egent: ad cætera pergo.
Egreſſi Fryſiæ fines, Suollaq́, relicta
Ad prius auriferi cornu inſuperabile Rheni
(Nunc Iſulam veteri mutato nomine dicunt)
Venimus, excreſcens illic qui limite rupto
Vaſtat agros, ſtratasq́, vias & compita ſoluit.
Hac dum per ſegetes in aquis hinc inde natantes,
Triſtis eo, vanosq́, anni deploro labores:
En illis etiam vicina Dauentria ripis Dauentria.
Oſtentare domos & turres incipit altas.
Hic ſchola grata fuit, quæ tot docuiſſe ſciebam
Egregios virtute viros, celebresq́, magiſtros,
Murmelium, doctumq́, Hegiū, clarumq́, Rodolphū
In varijs quorum celebrantur nomina ſcriptis.
Hinc per Menapios Iſulæ iam ponte relicto, HOLLANDIA.
Ruraq́, Martigenis quandoq́, habitata Sicambris,

Et Batauos penè immerſos acceſſimus vndis,
Scilicet hos ingens ſua poſt diuortia Rhenus
Ambit, & obliquo penetrans hinc inde meatu,
Cuncta madere facit tractu concluſa paluſtri.
Hinc tellus rara, & pondus ceu ſentiat, ictu
Impulſuq́, pedum tremit, ac ſubſidit anhela,
Et ſuſpenſa natansq́, velut concuſſa vacillat.
Terrā hanc non terram vt merito quis dixerit olim,
Nec malè quòd caua ſit Germanum nomen adepta (eſt.
Clara locis illis, plano Amersfortia campo
Cernitur. hinc hortos, & ſyluas inter, amœnas
Vltraiectū. *Sacrificûm ſedes Vltraiectina ſubimus*
Mœnia, pars Rheni ſecto qua perfluit amne,
Fortia cum vaſtis hic propugnacula foſſis
Viſuntur, belli & veteris monumenta tumultus.
Amſterodamum. *Paſcua per, riuosq́, inter, properante caballo,*
Mane nouo lautum perreximus Amſterodamum,
Diuitijs, turbaq́, hominum, varijsq́, ſuperbam
Mercibus, & medijs fundatam in fluctib. vrbem.
Harlemum *Nocte iterum pulſa, Harlemum contendimus,* (illic
Iunius Aonij decus indelebile fontis,
Omnigenis hominum morbis cum laude medetur,
Qui mitis, faciliq́, bonis affabilis ore,
Multa mihi oſtendit propenſi ſigna fauoris:
Diuerſosq́, libros, & carmina docta volenti
Conſpicienda dedit, numeris arguta ſonoris,
Vir bonus & longi vita digniſſimus aui.
Mox pagus, multas ſuperans ſplendorib. vrbes,

Inge-

Ingenioq́, ſui vatis, Muſisq́, Secundi
Nobilis, Haga ſubit. denſum nemus imminet illi, Haga.
Cui vicina domus, proceres vbi, turbaq́, Iuris
Conſcia, delatas aptè decidere cauſas,
Hollandæq́, ſolet lites còmponere gentis.
Quiſquis es, armatus tecta hæc accedere noli,
Iuſtitiæ hîc dòmus eſt, à qua vis exulat omnis.
Venimus hinc Delphos, iſtis regionib. vrbem Delphi
Egregiam longamq́, illinc mox Roterodamum Roterodamum.
Nauicula auecti, paucis exponimur horis:
Eſt ibi parua domus, magnus qua natus Eraſmus.
Hîc recreati epulis, vento de nocte ſecundo
Dordracum ſero appulimus. dein mane Vahalis
Siue Moſæ potius (tot enim iam cornua Rheni Dordracum.
Nominibus gaudent) tranſiuimus oſtia, per quæ
Fluminea æquoreis miſcentur fluctib. vndæ.
Olim hic terra fuit curſu peragenda pedeſtri,
Quæ iam tecta mari, naues & vela requirit,
Vſq́, adeo miſeris nihil eſt durabile terris.
Tungrorum hic veteres mònſtrare Brabantia ſe-
Incipit, vt Buſcum primo deuenimus, inde (des
Rixoſum genus aurigæ, per compita, rhedis
Nos curſu trepidante vehunt, Antuerpia donec, Antuerpia
Hic vbi nauigera Scaldis ſe proluit vnda,
Oſtentare procul nitidas ditiſſima turres
Inciperet, vallumq́, altum, foſſasq́, profundas.
Hîc homines varijs mundi regionibus ortos,
Hiſpanos, Italos, Gallos, cultosq́, Britannos,

Omnigenaſq; orbis merces, arteſq; per vrbem
Omnimodas, ſtudiumq; lucri, populiq; labores,
Miratiq; domum inprimis, quam tempore ciues
Exiguo, magnis ſed ſumptibus extruxerunt:
Viſum eſt hîc aliquot ſpeculando inſumere luces.
Flaminij tandem docti mitiſq; patroni
Auxilio adiutus, quo non humanior alter,
Nec melior, cultas Gallorum accedere terras
Mechlinia. *Conſtitui. Prima ergo die Mechlinia diues*
Nos lauta excepit menſa, gratoq; cubili.
Oſtenditq; locum, reliquis vbi iura Brabantis
Dant proceres, plenamq; ipſam pictorib. vrbem.
Poſtera Muſarum ſedem, collegiaq; ampla
Louanium *Louanij aſpicienda dedit, numerumq; frequentem*
Doctorum & iuuenum, Phœbi qui caſtra ſequun-
Quòd ſi relligio & pietas ibi purior eſſet: (tur.
Nec nugis nodiſq; ſuis ſacra ſcripta ſophiſtæ
Polluerent: dij quot medicos legumq; peritos,
Et ſophiam magno ſtudio linguaſq; docentes
Gratum audire foret? fontis quin Delia riuos
Vinceret Aonij: ſemper ſed triſtia lætis,
Fœtida odoratis, miſcentur ſordida pulcris.
Finibus excedens Grudijs, mox imbre cadente
Proceſſi madidus, primo me veſpere donec
Bruxella. *Excepit Bruxella, ſacras vbi Cæſaris arces*
Vidimus, adiunctoſq; hortos muro vndiq; cinctos,
Tam magno ſpacio, vt ſyluas & luſtra ferarum,
Vitiferoſq; vna colles, fonteſq; lacuſq;

Pra-

Prataq́ contineant. multas hic vndiq́ damas,
Capreolos, leporesq́ leues, ceruosq́ fugaces,
Diuerſi & generis volucres, plantasq́ tenellas,
Cretenſisq́ nouum ſpecimen videas Labirynthi.
Hac olim magni moderator Carolus orbis
Sede libens vixit: proceres hîc vndiq́ multi
Confluxere olim, pacem auxiliumve petentes.
His duce Flaminio viſis, qui commodè ibidem
Tunc Bruxellæ aderat. blando ſocer illius ore
Me vocat ad lautæ Schetus conuiuia menſæ,
Schetus Appollinei cultor tutelaq́ fontis,
Cæſarei præſes fiſci, tituloq́ Baronis
Clarior: hic & Cubelio præſente, virisq́
Nobilibus placidè acceptus, quin inſuper auctus
Munere, mox reliquam viſu quæ digna per vrbem,
Veſalij inprimis ædes acceſſimus amplas,
Auraicæq́ ducis palatia ſplendida: quin &
Iuſticiæ ſuprema domus regionibus illis,
Ex qua non fas eſt vltra procedere lites,
Spectata eſt, vicina foro. tribus inter amicos
Luciferis hic exactis, cùm pergere cœpi,
Hannoniæ tetigi fines, vbi Gallica lingua
Principium capit, intento diſcenda labore.
Venimus & Bergas, vrbem amplam: hinc Neruia pubes
Et poſt Atrebatûm fines, Arteſia viſa eſt.
Ad Samarobrinæ (Cameracum hoc tēpore dicunt) Cameracum.
Donec nos veteres duxit lux altera turres,
Defeſſos longaq́ via, ſolisq́ calore.

 Iulius

Iulius hîc olim hyberno ſua caſtra locauit
Tempore, conuentusq́; egit: non magna Papamæ,
Sed munita benè, oſtendit lux proxima nobis
Perona. Mœnia ſub noctem donec vicina Peronæ
Hoſpitium Ancra dedit miſerum, durumq́; cubile.
Inde Picardorum ſegetes, campoſq́; feraces,
Ambianũ. Et ſimul Ambianum, Somiæ quod flumina findunt,
Conſpicienda dedit celſi faſtigia templi,
Mirificis ornata modis. fulgente ſariſſa
Hîc chlamydem ſecuiſſe tuam Martine putaris,
Factus & armato præſtans è milite doctor.
Quin cum Fernelio, clarus quoque Siluius olim
Editus hac patria eſt, Muſarum hic fontis, at ille
Famæ Machaoniæ princeps & maximus artis.
Mox à Bellouacis & Claro monte relicti,
Sanctodionyſium. Nocte Dionyſio ſacram ſuperauimus vrbem,
Hîc vbi Francorum veteres longo ordine Regum
Cernuntur ſtatuæ & tumuli, de marmore partim,
Partim alabaſtrite exſculpti, tituliſq́; notati.
Hîc Dagobertus, opes illam qui primus in ædem
Contulit, & tantæ poſuit fundamina molis,
Coniunctaq́; iacet Ludouicus filius vrna.
Quem prope Martellus, tuus et cum coniuge Bertha
Carole Magne parens Pipinus, & inclytus olim,
Rex Capetus, reliquiq́; cubant, veteresq́; nouiq́;
Francigenæ qui ſceptra domus regniq́; tulerunt.
Hîc quoque theſaurus gemmis auroq́; relucens,
Hîc regis ſceptrum, hîc gladius, fulgensq́; corona.
Plu-

Pluraq́; cernuntur, quàm noſtro vt ſingula dici
Carmine deſcribive queant: opulentia regni
Hinc Franci, & veterum penſatur gloria regum
Quin animalis opes rari, à quo nomen adeptum eſt,
Octo pedes altum, præacuto cuſpide cornu
Tortile conſpicitur, fuluo precioſius auro.
Aede ferè media Chriſti pendentis imago
Ex auro ſolido & puro, & crux aurea, mole
Dependet magna: tua quin caluaria ibidem,
Sancte Dionyſi, aſpicitur, circumdata cruſtis
Aureolis, & beryllis fulgente pheretro.
Hæc vbi viſa forent, epuliſq́; meroq́; refectis,
Exoptata diu ſe monſtrat Sequana nobis.
Nec procul hinc, celebris ſumma mons adiacet vrbi,
Caſtellumq́; ſuper retinens à Martyre nomen: Mons Martyrum.
Ex quo ſpectandam ſe magna Lutetia præbet:
Vrbs orbi ſimilis, toto & celeberrima mundo.
Huc nouus hoſpes ego ſolito cùm more venirem,
Nominis inquirens cauſas, veteresq́; colonos:
Quidam ait, hic locus eſt, martyr Dionyſius olim
Quo gladio caput abſciſſum, mox ſuſtulit ipſe,
Geſtauitq́; vlnis procul hinc, vbi nobile templum
Alter ab vrbe lapis cenſu prædiuite iactat.
Hæc credat quicunq́; volet: mea gaudia Muſæ
Sequanides, doctiq́; viri, celebresq́; magiſtri
Aeternum ſaluete mihi, palatia fauſto PARISII
Sint mihi veſtra gradu, pedib. nec tacta ſiniſtris,
Fas mihi vobiſcum multos ſit viuere menſes,

Doctri-

Doctrinaq; frui veſtra, verbiſq; diſertis,
Muſarum ſedes regina Lutetia ſalue:
Francigenæ tu metropolis pulcherrima gentis.
Hoſpitio regem grato regiſq; miniſtros
Excipis, & reliquas iuſtè das iura per vrbes.
Quis ciues populoſa tuos? quis condita iuſſu
Carole magne tuo, doctis collegia Muſis?
Aut iuuenes numerare queat, legumq; peritos
Cauſidicos? recitare loci quis commoda poſſit?
Ipſe bipartito rapidus te Sequana fluxu
Diuidit, & gemino circundatur Inſula fluctu.
Inſula mirandis adeò quæ pontibus vrbi
Iungitur, vt niſi præmonitus, dignoſcere pontes
A vicis nequeas reliquis, ſic omnia miris
Aedificata modis: ſic ceu tellure locatæ
Stant vtrinq; domus, gemmis auroq; repletæ.
Sequana ſed tacitis has ſubterlabitur vndis.
Omnibus in magnæ ſtrepitum quid partib. vrbis?
Obſtanteſq; adeo turbas, greſſuſq; morantem.
Sint completa licet totis habitacula vicis,
Commemorem? obſtupui fateor, quando omnia vi-
Totis plena foris, & proclamata ſubinde (di
Hic quæcunq; velis cornu tam diuitè fundi.
Quæ ſi cuncta canã, quot habet Sorbona ſophiſtas,
Aut citius Monachos totam numerabo per vrbem.
Clarorum tibi quid recitem monumenta virorum?
Lombardi, Sacrobuſci, doctiq; Budæi
Atq; Cominei tumulos, quos optimus ille,

Turne-

Turnebus quoq́; ſuprema eſt iam morte ſecutus.
Viuit adhuc Ramus, viuit Lambinus, & auro
Auratus melior: viuit Ronſardus, & artis
Paonia Duretus honor: Guillonius ipſe
Atq́; Salinacus viuunt, audire voluptas
Quos mihi ſumma fuit, rebus verbiſq́; potentes.

SEd iam tempus adeſt, ſiccos quo Sirius ardens ITER
Vrit agros, cathedraq́; ſilent, Muſaq́; quieſcũt, ANGLICVM.
At non vlla quies nobis, ſed adire Britannos,
Oceani bibulas vltra refluentis arenas,
Iam placet. interea populoſa Lutetia, multum
Cara vale, breue tempus erit, tua quando reuiſam
Limina, ſi curſum ſuperi reditumq́; ſecundent.
Egreſſi vrbem, primo pulcherrima ſeſe
Planicies nobis offert, quam Sequana gyris
Diſſecat, vt ſerpens ſeſe ſurſum atque deorſum
Inuoluens. hos, & montem traiecimus altum,
Vnde procul ſyluæ & ſaltus ſpectantur amœni,
Oſtentatq́; humiles ibi villa Argentea turres, Argentea villa.
Veſtis vbi Chriſti, (ſi fas eſt credere pagi
Sacrificis) capſæ, per vitrum, incluſa videtur.
Hanc ſumpta mercede mihi ſociiſq́; ſacerdos
Dum monſtrat, certis verbis & ritibus vtens,
Procubuit prius, hanc panni reuerenter adorans
Particulam. pons hinc Iſaræ ſuperatus, ad illum
Sunt Nordmannorum & Francæ confinia gentis.
Hoſpitis hic & equos macros, & ephippia duro

Ex

Ex ligno fabricata, amplo conduximus ære,
Et miſerandi equites multâ de nocte profecti,
Luce ſequenti ægrè concluſam montibus vrbem
Rothomagum. *Rothomagum aſſequimur: celeri quà Sequana curſu*
Alluit Aulercos veteres, fluuialib. vndis,
Oceani ſubiturus aquas, fluctusq́ marinos.
Præſulis hîc ſedes ſummi eſt, interq́ Senatus
Septem illos celebres Galliæ, non infimus, (ipſi
Parlamenta vocant) cunctas decidere cauſas,
Præſes vbi, proceresq́, ſolent, legumq́ periti,
Quorum vbi conſueto dicta eſt ſententia ritu,
Appellare licet nulli, lis clauditur omnis.
Templa ibi luſtrantes olim pulcherrima, diuûm
Et veteres aras, deturbatasq́ videmus
Sanctorum ſtatuas, flammaq́ ardente crematas.
Dant ſignum obducti nigra fuligine poſtes,
Atraq́ diſiecti fumo laquearia templi.
Viſitur hîc Campani æris vaſtiſſima moles
Excelſa in turri, latè ex qua cernere poſſis
Montesq́, fluuiosq́ omnes, regionis amœnæ,
Cui niſi dulce merum & vites natura negaſſet,
Non facilè adiunctis cultiſſima cederet agris.
Ex pomis tamen atq́ pyris ſilueſtribus, illic
Potio conficitur vini defectibus apta.
Rothomago ad Claræ primò deuenimus amnem,
Diepa. *Oceani tandem ſcopuloſo in litore, Diepam*
Vidimus: hic olim Danos habitaſſe colonos,
Scripta docent, nomenq́ vrbis denunciat illud.

Hic

Hic nos aduerſis tenuit nox altera ventis,
Neptuno donec, placidiſq; fauentibus auſtris,
Motaratis, fixo pandebat lintea malo.
Protinus Oceano in vaſto, lux altera duris,
Sub dio, in tranſtris, piceiſq; rudentibus acta eſt.
Interea varijs fallebant tempora læti
Nautæ exercitijs, hic vnco piſcibus hamo,
Hic talo ſocij loculis, nummuſq; ſtruebat
Inſidias cautus: multis cantare placebat:
Stertebant alij: ſed tu mea cura Lucreti,
Sancte pater vatum regio quos Romula iactat,
Tædia tu curaſq; tua mihi voce leuabas.
Imprudens tamen in certum me penè periclum
Conieci, hoc viuit capiturq; ſub æquore piſcis,
Qui ſimul ac ſentit manibus ſua terga teneri,
Ilicet ex pinnis virus emittit acutis,
Seq; venenatis pungens vlciſcitur armis.
Talem penè manu attigeram, dum captus ab hamo
Penderet: niſi nautarum clamore fuiſſem
Præmonitus. rediens tandem ſol tertius, oras
Optatas, Angloſq; dedit contingere portus. Anglia.
Contigimus, ſed vectigal mox grande coacti
Præfectis numerare loci, cùm nauita dudum
Nos etiam haud paruo iurans emunxerat auro.
Diximus: ô miſeram Phœbi turbæq; ſororum,
O ſortem infauſtam, quæ veſtris ſemper alumnis
Sunt data iura olim, non iam ſunt perdita tantū:
Sed ſpolijs etiam veſtris diteſcere multi

Per

Per fas perq; nefas, ſæpe ignorantibus ipſis
Principibus ducibusq; ſolent: hæc gloria Phœbi
Doctiloqui, hic honor eſt Muſis, ſine munere qua-
Nil tamen in toto geritur laudabile mundo. (rum
Oppidulum primò conſpectum in littore nobis
Rya. *Eſt Rya, quo pranſi lautè, viſisq; Britannis*
Moribus, & facie pulcra, vultuq; ſuperbis
Virginibus, menſæ ſolito quæ more miniſtrant,
Pergimus à medio cùm ſol deſcenderet axe.
Mane nouo lux orta iterum cùm cederet orbe,
Londinum *Sero Londinum, admiſſo properante veredo,*
Sed primo Tameſis traiecto ponte ſubimus,
Ponte graui merce omnigena, domibusq; venuſtis.
Inſula tota aliàs plenis eſt fertilis agris,
Argentoq; auroq; ſimul, ſtannoq; nitenti,
Syluoſisq; iugis & lætis bobus abundat.
Non æſtus nocet hic pecori, non frigora pomis.
Quin & oues (hæc terra lupos quia neſcit edaces)
Incuſtodita per pabula læta vagantur,
Pannorum hinc tantæ moles, & pondera lanæ.
Quid tibi cõmemorẽ ue canes, pinguesq; caballos?
Quidue canũ prædam lepores pinguẽq; ferinam,
Quid fontes, magnis aut iunctos arcibus hortos
Lauriferos, nitidè cultos: Libanotida multis
Arboribus tibi quid ſimilem, quid cætera laudem?
Quæ breuitas differre aliò me temporis vrget.
Nam niſi Bacchus eas priuaſſet vitibus oras,
(Illi cocta Ceres quamuis hac parte medetur)

Cuncta

Finibus ipſa ſuis non miſſa aliunde teneret.
Hæc tamen Arctois laus eſt æterna Britannis,
Quòd poſt Pannonicis vaſtatum incurſibus orbem
Illa bonas artes, & Graiæ munera linguæ,
Stellarumq́ vias, & magni ſidera cœli
Obſeruans, iterum turbatis intulit oris.
Quin ſe relligio multum debere Britannis
Seruata, & latè circum diſperſa fatetur.
Quis nomen Bonfride tuum, quis munera neſcit?
Te duce Germanis pietas ſe vera fidesq́
Inſinuans, cœpit ritus abolere profanos.
Quid non Alcuino facunda Lutetia debes?
Inſtaurare bonas ibi qui fœliciter artes,
Barbariemq́ procul ſolus depellere cœpit.
Quid tibi diuinumq́ Bedam? doctiſſimus olim
Tam varias vnus benè qui cognouerat artes,
Quid Morũ Homfridumq́ tibi, quos Anglia noſtra
Protulit ætate, aut reliquos laudare neceſſe eſt?
Quorum fama manet nullo delebilis æuo.
Londinum tamẽ ante alias caput extulit vrbes, Londinũ.
Quæ Lunæ falcatæ inſtar, longo ordine ripas
Ad Tameſis ſeſe incuruat. qua mergitur vndis
Sol abiens, celſas reginæ vidimus arces,
Et tumulos regum miro ſplendore nitentes,
Magnifico in templo: reges vbi more coronans
Antiquo accipiunt, certaq́ in ſede locantur.
Linacer in Pauli poſuit ſua corpora templo,
Elogijs ornata nouis. Si cætera luſtres,

Saxonas inuenies ſculptos, vrnasq; vetuſtas,
Qui fuerint dubito: nonne illos eſſe putandum eſt?
Angilia qui ſtirpe ſati, vicere Britannos,
A quibus & ſolitum retinet tota inſula nomen
Ecberti auſpicijs, primus ſe dicere regem
Anglorum, veteri extincto qui nomine cœpit,
Carolus imperij Magnus cùm ſceptra teneret.
Vrbis ad Eoas arx cernitur ardua partes,
Cuius ad introitum geminos ſpectare leones,
Ignotisq; licet diuerſa animalia formis.
Innumeris arx ipſa armis terraq; mariq;
Vtilibus, plena eſt: hîc tot tormenta, tot haſtæ,
Spicula tot, tot frena ſimul, tot ephippia cernas:
Vno vt plura loco, non toto exiſtere mundo
Arma putes, Venetûm ſi non conſpexeris arma.
Oppoſita in Tameſis ripa, longa area, paruis
Diſtincta aſpicitur tectis, vbi magna canum vis
Vrſorumq; alitur diuerſarumq; ferarum,
Quæ canibus commiſſæ, Anglis ſpectacula præbent,
Hoſpitibusq; nouis, vincti dum prælia miſcent,
Luctantes aut vngue fero, vel dentibus vncis.
Totius aſt vrbis quàm ſit precioſa ſupellex:
Parietibus quàm ſint ſtorea, pictiq; tapetes
Inducti egregiè: vt iuncis herbisq; vireſcant
Strata pauimẽta: atq; hominũ q̃ mundus amictus:
Omnia quid numerare refert? en Cynthius ipſe
Nos vocat ad reliquas, ſolito iam clarior, vrbes:
Sublimes in equis igitur, crebróque relictis

Pon-

Pontibus, ad Tameſin, (varijs qui ambagibus errat,
Tot campos, ſiluas, tot regia tecta, tot hortos
Artifici dextra excultos, tot vidimus arces,
Vt nunc Auſonio Tameſis cum Tybride certet.
Hac tamen ante alias arx Hamptencurtia laude
Dignior eſt, quin digna etiam vicinior illi,
Quam quia non habeat ſimilem, laudare Britanni
Sapè ſolent, nullíque parem cognomine dicunt.
Viſa vtraq; ſatis, Vuindſoram acceſsimus, aulæ Vuindſora.
Tunc proceres vbi regina præſente manebant,
Sceptra Caledoniæ, quæ nunc fœliciter ora
Nympha tenet, ſexum ſtudijs linguaq; nitore
Exuperans, nihil eſt illo qua pulchrius orbe.
Arx antiqua quidem, ſed ſaltus inter amœnos
Et valles in monte iacet, vicinia circum
Vnde omnis, nemora & ſiluæ, fluuijq; videntur:
Hîc vt oues, capreæ cicures damaq; gregatim
Immenſo numero ſyluas & prata pererrant,
Quin & in effoſsis habitare cuniculus antris
Aſſuetus, prodire ſolet campíſque vagari.
Reginæ vt ſedem celſamq; reliquimus aulam,
Poſt pluuias ingens cœlo comparuit arcus,
Arcus habens varios aduerſo ſole colores.
Nos ſerò Oxoniam ſtellis deuenimus ortis. Oxonia.
Hac olim Aonides ſedem gratóſque receſſus
Cum doctis habuiſſe viris, Collegia multa
Egregiaq; domus, horti & teſtantur amœni,
Qui requiem & gratas præbēt meditantib. vmbras.

P 2 Hoc

Hoc rex Alfredus Muſas dignatus honore eſt.
Cantuaria Inde reuertenti Roffenſis præſulis ædes,
Et celebris Thomæ interitu Cantuaria, quin &
Reginalde tuæ viſa eſt inſcriptio tumbæ.
Oppidulo tandem quarta pòſt deniq; luce
Dauernũ. Dauerno excipimur, gemini qua ianua ponti.
Faucibus anguſtis, lateq; frementibus vndis,
Gallorum Anglorumq; vetat concurrere terras.
Hîc quoq; vectigal poſtquam numerauimus, auro
Emancti, nauem ingredimur, ſed & æquora venti
Turbabant, duplexq; maris violentia bilem
Et capiti, cerebroq; ſimul, ſtomachoq; ciebat.
Itius, auroræ donec ſe tempore, portus
Caletum. Oſtendit, fortiq; manu munita Caleti
Mœnia, depulſis à Gallo erepta Britannis.
Proxima rore graues cùm lux ſiccauerat herbas,
Bolonia. Oſtentare procul munita Bolonia turres
Excelſasq; arces cœpit: pars vrbis in alto
Monte ſita eſt, ima pars altera condita valle,
Monſtrelũ. Vndiq; præſidijs magno munita labore.
Bellouacũ. Poſtmodò Monſtrelum, Lambini patria, monti
Inſita, Bellouacũmq; fuit gens obuia nobis.
Atq; ita per Morinos, (quos terræ ignara vetuſtas
Extremos hominum dixit) queruloſq; Picardos.
Ingredimur, donec quarto cum ſole reuerſos,
Lutetia. Sequanis adductis ſaluere Lutetia Muſis
Nos iubet: ô iterum, populoſa Lutetia, ſalue
Tu requiem noſtriſq; refers ſolatia curis.

Sed patriam decimo quia nunquam vidimus anno,
Quamprimùm tumidas vindemia colliget vuas,
Linquere te rurſum certò compellor amore.

ITER AVGVSTA-
NVM.

Hoc vbi tempus erat, primo nos veſpere Melda Melda.
Suſcipit. hinc virides quà Matrona pluit her
Sequana flaue tuis trepidãs ſe iũgere lymphis: (bas,
Vitiferos inter colles, & amœna fluenta,
Vidimus excelſas Condei principis arces.
Hinc laceros inter pagos, ſiluasq́, profecti,
Hoſpitijsq́, vſi miſeris tres ordine ſoles,
Dehinc Vertodunum celebratam præſulis vrbem, Vertodunum.
Hîc vbi fertilibus floret Lotharingia campis,
Pocula guſtantes muſto repleta, ſubimus.
Inde per horrendos iter eſt infame receſſus,
Syluarumq́, ſpecus, vbi cautus ſæpè viator
Occubuit, ſæpè arboreis hîc arida ramis
Pallida vel triſti dependent corpora tabo.
Horrore ingemui fateor, ſed munere liber
Angelico, tamen euaſi. lux poſtera, pontem
Clara Moſella tuum, qua ſe Metenſia tollunt Metz.
Mœnia, præſidijsq́, minax educitur agger,
Monſtrauitq́, ſuis plenam cuſtodibus vrbem.
Dia Moſella alios inter non vltimus amnes
Saxeus educto quem pons amplectitur arcu,

Salue amnis, ſalue, Auſonij te carmina vatis
Egregijs cecinere modis, tu mœnia Treuir
Quæ colit & Metim, Selna comitante peragras.
Olim aquilæ, nunc liligero quæ ſubdita regi,
Gallica Teutonicis immiſcet verba loquelis.
Auſtraſia. Nec procul inde tui diſtant Germania fines,
Vuormatia. Auſtraſiæq́; plagæ. Saro Lutráque relicto,
Vangionum ſedes veteres, vrbémque ſubimus,
Quam circum dulcíſque meri, frugúmque feracem
Planiciem, celeris tangunt quam cornua Rheni,
Quædam etiam vidi veterũ monumenta Quiritũ.
Spira. Inde ad iuſtitiæ ſedem, Spirenſia ventum
Mœnia, Rhenus vbi Nemetum prærerfluit vrbem,
Hîc ſi ſumma ſacri ſubeas penetralia templi,
Sex ibi Cæſaribus cernes extructa ſepulchra,
Quattuor: hoc vno diuiſo in marmora verſu:
Filius hîc, pater hîc, auus hîc, proauus iacet iſthic.
Namq; ibi Conradus, tres & qui nomine gaudent
Henrici, imperio fuerant velut ordine functi,
Sic quoq; vicinis vnà tumulantur in vrnis.
Hinc per dulce virens, ad pabula læta, ſalictum
Eſt iter, in Rhenum: cymba ſi viceris illum,
Graigoïa. Non procul hinc locus eſt, pingues vbi fertilis agros,
Cultáque vitiferos aperit Graigoïa colles,
Graiorum veteres quos incoluiſſe nepotes
Et nomen, Graiusq́; monet qui perfluit amnis.
Hîc ego vitales tetigi puer editus auras,
Mencingia. Spectat vbi grauidas circum Mencingia vites,

Piſ-

Piſcoſosq́; lacus, & iunctas montibus arces.
Ergò aliquot cupidis luces coniunctus amicis,
Cùm lachrymas patris tumulo, titulumq́; dediſſem,
Et Mencingiaci celebraſſem funera Petri:
Proxima cura fuit patriæ vicina videre
Oppida, magnificasq́; domos. ad mœnia Brettæ Bretta.
Saltus ibi breuis eſt, doctiſſimus ille Melanthon
Qua genitus paruæ magnum decus attulit vrbi.
Capnio nec procul hinc triplicis noua gloria linguæ,
Prodijt in lucem, Phœbo cariſſimus infans.
Hinc quoq; Muſarũ celebres, quas Neccarus ar- Heidelberga.
Alluit: Heidelberga tuã, claraq́; Tubinga, (ces, Tubinga.
Cura videre fuit, doctósque audire voluptas.
Nec ſtudijs inſuaue meis regionibus illis
Hybernare fuit: nec præſtantiſſimus ille
Ciſnerus me vulgari complexus amore eſt,
Complurésque alij. primo cum vere quietem
Rumpo iterum, Blauusq́; Iſtro qua confluit, Vlmam Vlma.
Auguſtámque peto, magnus Comitia Cæſar, Auguſta.
Imperijq́; duces, & clari nominis vrbes,
Et proceres vbi de magnis tum rebus agebant.
Omnia magnifico licet hîc ſplendore niterent,
Admiranda modis inſignibus, omnia pulchra:
Attamen è cunctis nil vidi illuſtrius, ipſo
Cæſare, quando Duces inter, ſummiq́; ſenatum
Imperij, incedit roſeo ſpectabilis ore.
Aſſurgunt circum proceres, & iuſſa capeſſunt,
Miranturq́; omnes diuinæ frontis honorem.

Non ſecus ignito volitante per æthera curru
Diffundit iubar auricomum, ſol aureus ipſe,
Illum præcedunt, perq́; interualla ſequuntur,
Lucifer è reliquis longè pulcherrimus aſtris,
Conſilioq́; valens Cyllenius, aurea Phœbe,
Nec procul à ſolio regis Mars enſifer aſtat,
Vicinusq́; patri, ſceptro ſpectabilis alto
Iuppiter, hos reliquæ cœli quas orbita ſtellæ
Continet, innumeræ cingunt, regemq́; ſalutant,
Ipſe loco medius, radijs procul omnia complet:
Sic etiam pulchros inter pulcherrimus ibat
Arbiter imperij, feſſis ſpes maxima rebus.
Sed ſi ſemideos, terrarum lumina, reges,
Legatosq́; orbis varia regione profectos,
Si luxum, turbas, ſpectacula, prandia, pompas,
Siue vrbem celebrare velim: ſiue vrbis alumnos,
Hencelium, pluresq́; alios, vox deſeret ipſa,
Et prius heſperijs Phœbus ſeſe inferet vndis.
Nec decet anguſto tantarum pondera rerum
Iter Venetum. *Deterere ingenio: melius tacuiſſe videtur,*
Quàm dixiſſe parum. Lycio iam ponte relicto,
Bauaria. *Incipit adiunctos monſtrare Bauaria campos,*
Monacum. *Atq; vrbs in clypeo Monachum quæ pingit inertem,*
Pulchra foro, domibus, vicis, arce, aggere, templis,
Iſara ſpumiferis, quam præterlabitur vndis.
Alpes. *Hac quoq; luſtrata poſtquam diſceſſimus vrbe,*
Paulatim, niuibus latè candentibus Alpes
Impoſitæq́; olim ventoſis Alpibus arces

Ap-

Apparent: illiuſq; oriens è montibus Oenus,
Suaciacos æris legulos, pleno alluit amne,
Amne metallifero circum qui monte ſuperbit.
Contigimus celebres hinc Oeni in valle ſalinas, Salinæ.
Atq; Tyrolenſis fulgentes præſidis arces,
Oenipontis habet quà non ignobile nomen,
Vrbs, ſemper nebulis & iniquis horrida nimbis, Oenipontum.
Sed tectis tamen aureolis, & nobilis aula:
Quin templo inprimis, puro quod marmore fulgẽs,
Sex & viginti magnis ex ære coloßis,
Auſtriacæ proceresq; domus, regesq; videndos
Exhibet, auguſtis procero in corpore membris.
Poſtera nubiferi faſtigia Pyrenæi, Pyrenæus.
Conſpicienda dedit, magno aſcendenda, ſed inde
Maiori, prono pede, deſcendenda labore,
Hîc vbi victus erat, vallis quod Telnia gignit
Dulce merum, feßi ſicco guſtauimus ore.
Brixina mox veteres abſentis Præſulis arces, Brixina.
Imaq; frugiferos monſtrat Bozenia campos, Bozenia.
Panis vbi longè pulcherrimus, optima vina.
Iamq; dies iterumq; dies geminauerat ortum,
Ad ripas Atheſis, tumidas è gutture ſtrumas,
Vidimus agricolis pleno cum tubere naſci, Atheſis fl.
Inflatæ veſicæ inſtar, mox inde Tridentum Tridentũ.
Venimus, Italicæ quæ prima vrbs ianua terræ
Imminet, Auſoniæ commiſcens Norica linguæ.
Hîc magni è varijs acciti partibus orbis
Conuenêre patres, reuocare in priſtina ſectæ

Relligionis opus, nulla cum fruge volentes.
Hanc vbi depreſſa concluſam valle reliqui,
Feltria. *Feltria Cæſareis niuium damnata rigore*
Verſibus, intrata eſt: hîc ſe ſubducere montes
Incipiunt molliq́; iugum demittere cliuo
Nunc iterum planis circum vndiq; libera campis
Lumina ferre queo. nam totis octo diebus,
Nil ſcopulos præter, fuſasq́; è cautibus vndas,
Excelſasq́; niues è valle videre licebat.
Taruiſiū. *Hinc nos Taruiſium piſcoſi ad flumina Sili,*
Atq; vbi nautarum iam ſunt magalia, Meſtrum,
Venetiæ. *Vrbs olim præclara capit. Sæuo Adria fluctu*
Aeſtuat hîc, Venetas procul inde per æquora turres
Oſtentans, medijq́; ſitas in fluctibus arces.
Quas vbi contigimus: magni miracula mundi
Quis complere neget, ſic ſtructas diximus ædes?
Armipotens regina maris, cultiſſima ſalue,
Salue orbis magni emporium, ditiſſima ſenſu
Tu poſtquam Latijs vrbs Romula concidit aruis,
Altera Roma velut vaſtis caput exeris vndis,
Vt de Cecropijs olim certauit Athenis,
Sic docta Neptunus adhuc cum Pallade certat,
Vrbs vtri Venetûm cedat. mare mercibus ille
Omnigenis, præbétque ſuas habitantibus vndas,
Eximios virtute viros, bellóque togáque
Illa dat, & ſocias defendit Gorgone Muſas.
Quis nomen Muſure tuum? quis nobilis Aldi
Prela nouósque typos? quis clari encomia Bembi
Neſ-

Neſcit,& Hermoleum? dictus qui Barbarus olim,
Barbariem tamen Italicis procul expulit oris.
Cui non Naugerius? cui non Egnatius ille,
Aut Contarenus facundo cognitus ore eſt?
Docta Minerua quibus ſua iura tuetur alumnis.
Quos ego, dum reliqui merces mirantur, & vrbis
Splendorem attoniti, vero compulſus amore
Suſpicio, venerórque libens, atq; effero laude.
Iamq; tenebamus riuum qui dicitur altum,
Is longè mediam porrectus diuidit vrbem,
Et quaſcunq; domos, quæcunq; palatia circum
Aſpicias, ſic ſunt extructa: vt regia dicas
Omnia, Dalmatico ſic atria marmore fulgent,
Tectáque regifico ſurgunt ad ſidera luxu.
Quid tibi coniferúmque Ducem, procerésque ſena-(tus
Purpureos, ſenióque graues? quid templa per vrbem
Splendida, quídue ædem diuóque palatia Marco
Sacra canam? quid qui toto celeberrimus orbe eſt
Theſaurum ingentem, templo qui conditur illo,
Quis cunctas numerabit opes? mercésq; per vrbem
Omnigenas, varijs huc quæ mittuntur ab oris.
Quid fora? quid nauale tibi? quo tanta ſupellex
Nautica, & omnimodus Martis quæ poſtulat vſus,
Arma latent, galeæ, pilæ, tormenta, ſariſſæ,
(Vt vidi obſtupui) tales tantaq; triremes,
Vt nemo meminiſſe queat, numerúmque referre.
Quòd tibi ſi Græcos placeat cognoſcere ritus,
Templa pete, Argolici tractant vbi ſacra miniſtri,

Et

Et linguam agnoſces veterum, Græcôſque videbis,
Concurſu totum magno complere ſacellum.
Si placeat varios hominum cognoſcere cultus,
Area longa patet, ſancto contermina Marco,
Celſus vbi Adriacas Venetus leo deſpicit vndas.
Hîc circum gentes cunctis è partibus orbis,
Aethyopas, Turcos, Sclauos, Arabésque, Syrósque,
Inueniesq́; Cypri, Cretæ, Macedûmq́; colonos,
Innumerósque alios, varia regione profectos:
Sæpè etiam nec viſa prius, nec cognita cernes:
Quæ ſi cuncta velim tenui deſcribere verſu,
Hîc omnes citius nautas, celeresq́; phaſelos,
Et ſimul Adriaci piſces numerabo profundi.
Vdalricus Dux Megap. Venetijs. Nil tamen in tanta viſum mihi carius vrbe,
Quàm patriæ decus, & ſpecimen virtutis auitæ,
Magnus Vdalricus, clypeo cui fulget aperto
Bucephali facies, quam Mænalis vrſa veretur,
Dux Henetus, Venetam cœptis fœlicibus vrbem
Italiæq́; plagas illo qui tempore luſtrans,
In ſe oculos animósque hominũ conuerterat omnes,
Auguſta virtute grauis, vultúsque nitore.
Muranum. Hinc ego Muranum vaſto iacet inſula ponto,
Remigijs cymbáque peto, fulgente camino
Vaſa vbi cum vitreis fiunt criſtallina gemmis,
Gemmis quæ veris etiam certare videntur,
Inſidiæ loculis tantæ nummisq́; ſtruuntur.
Hinc Adriæ qua Medoacus ſe turbidus infert,
Prouehimur, benè velata de nocte carina,

Donec mane nouo Patauini Antenoris vrbem, Patauium.
Euganeosq; procul colles ſpectare liceret.
Salue vrbs doctiloquis ſedes aptiſſima Muſis.
Magna loco, ſpacioſa foro, placidiſſima cœli
Temperie, muroq; triplex, latiſſima foſſis,
Et magnis celebrata viris. hac Liuius ille
Hiſtoriæ pater eſt genitus, ſeruantur eodem
Illius oſſa loco, ſtatuis, tituloq; ſuperbo,
Hic vbi iuncta foro, nullis fulcita columnis
Plumbea marmorei pulchrè ſtant tecta palatij:
Hîc etiam Paulus Iuris Legumq; peritus
Et ſtatuas alij meruerunt vrbis alumni.
Hæc quoq; Vallerio patria eſt, qui Iaſona laudat,
Hæc patria Aſconio & Stellæ, Prætoris in arce
Effigies quorum & titulos ſpectare licebit,
Atria Romanum referunt vbi picta ſenatum.
Hîc quoq; ſuprema Longoli conderis vrna,
Inſcripſitq; tuæ Bembus tria carmina tumbæ.
Te iuuenem rapuere deæ, fatalia nentes
Stamina, cùm ſcirent moriturum tempore nullo,
Longoli, tibi ſi canos ſeniumq; dediſſent.
Hortus in hac etiam medicorum nobilis vrbe
Viſitur, arboribus, raris & conſitus herbis,
Hîc hebenum lotonq; ſimul, viridemq; papyrum,
Hîc moly, hîc adianta vides, mollesq; hiacynthos.
Nec dictamnus abeſt fixis medicina capellis.
Quò feror? immēſum eſt omnes perſtringere plātas,
Quas ego dum celebri video nouus hoſpes in horto:

Si-

Signa rubeſcebant æſtiui feruida cancri,
Sirius & calidis minitari cœperat agris:
Robertelli igitur Muſis, vocíque diſertæ
Deditus, hîc aliquot volui ſubſiſtere menſes,
Fons Aponi. *Vinceret ardentes dum lenior aura calores.*
Interea fontes Aponi, thermáſque ſalubres,
Viſimus & crebro doctorum tecta virorum.

ITER ROMANVM. I.

Virginis in dextra ſed iam vindemitor alæ
Exoriens, fore maturas mox indicat vuas.
Optatumq́; refert rabido lenimen in æſtu.
Euganei montes igitur caríque ſodales,
Vrbs Patauina mihi fido quos pectore iunxit,
Iam me Roma vocat, benè perpetuúmque valete.
Digreſſis tenuem ſe Bacchylionis ad amnem
Vicentia. *Frugiferos inter tollit Vicentia campos.*
Verona. *Hinc Baldi vicina iugo, Verona, Catulli*
Patria, quam flexis munítque & perfluit vndis
Ipſe Atheſis, decorátque alti labor Amphitheatri,
Conſpicua eſt, renouátque tuos Diderice triumphos,
Qui Gothus Italiæ ſceptrum ſublime tenebas.
Mantua. *Conſpicua eſt etiam diuini Mantua vatis*
Patria Virgilij, claram qua Mincius Anden
Alluit, & pulchris mox vrbem interluit vndis:
Aequoreo fremitu inſurgens Benacus & æſtu,
Quem recipit, latéque vrbem circumfluus ipſe,

Hunc

Hunc finit illæſum puro tranſire fluento,
Sic lacus vt patulas non intermiſceat vndas.
Hîc arces, fora, tẽpla, domos, pulchra omnia luſtrãs,
Piſciferóſque lacus, & amœna commoda ripæ:
Dixi equidem ſocijs, an non natura videtur
Atq; hominum certaſſe labor, maioribus illa
An verò hic, vrbem meritis extollere poſſet?
Hîc quoq; Baptiſtæ, quo Mantua gaudet, & ipſam
Virgilij faciem, quam dux Gonzaga moneta
Inprimit, inueni. lapſi Phaëtontis in amne
Eridano vitreus qua Mincius influit, acti
Remigio à nautis, cœlo curſúque ſecundo,
Conſpicimus quas fortis habet Ferraria turres Ferraria.
Quin & Ateſtini ducis inclyta tecta, viáſque
Latas, & Muſis Phœbóque addicta Lycæa,
Et Calcagnini celebris, tumulúmque Gyraldi
Viſimus & reliquam viſu quæ digna per verbem.
Triginta hîc fluuijs tumido Padus amne receptis,
Turbidus Adriaco ſeptena per oſtia ponto
Iungere ſe properans, nymphæ Callopſidis hortos
Circumdat, vaſtaq́; prius petit ora Paduſæ.
Aemiliæ princeps populoſa Bononia terræ, Bononia.
Inclyta rectorum ſtudiorum mater & altrix,
Puraq́; Felſinei ſunt proxima flumina Rheni.
Hîc ſi nobilium ſedes, præcinctaq́; latis
Atria porticibus, ſi celſa palatia Muſis
Structa recens, laudare velim: ſi tollere ſummos
Doctrina & virtute viros: Sigonius inter

Quos

Quos nitet, ingenioq́; ſenex Cardanus acuto,
Et plures alij, citius vineta racemos
Quot generent ibi, vel ſulcos numerare liceret.

Apenninus. Poſt vbi nimbiferum ſuperauimus Apenninum,
Cui niue tecta coma eſt, ſiluis denſisq́; pruinis
Barba riget, longo tenduntur brachia tractu
Horrida: Feſulea dictos ab Atlantide montes

Florentia. Scandimus, Hetruſcæ caput hîc Florentia terræ,
Magnũ, opulentũ, ingẽs, vario de marmore templũ,
Conſpicuum tabulis, centum ſublime columnis.
Et duo præterea ſimili ſplendentia luxu,
Regalesq́; domos & Coſmi protulit arces. (bem,
Quæ propiore gradu pulchram dum luſtro per vr-
Caſelio duce, quem caſus mihi commodus illic
Obtulit, optatum, & notæ virtutis amicum:
Admiror, ſtupeoq́; animi ſolertis acumen,
Subtilesq́; manus, & doctæ Palladis artes.
Serica dum tractant molli ſubtegmina filo,
Queîs linguæ nitor accedit, cultusq́; decentes.
Hîc me doctiloquo ſenior Victorius ore
Excepit placidè, ſummum qui perfluit, Arni
Italiæq́; decus, ſophiæ iam tantus in arce:
Quantus in hiſtoria, noſtro lux temporis æuo
Extitit, hîc humili Iouius qui conditur vrna.
Quid tibi iam multos quos Bibliotheca recondit
Egregios, raroſq́; libros? quid principis hortos?
Marmora vbi, in varias & ſaxa exciſa figuras,
Et platani inſignes, folijs cernuntur amœnis:

Quid tigres, aquilasq́; leues, fuluosq́; leones,
Quid repetam celebrata alijs monumenta Poëtis?
Vis breuiter dicam? nihil ingenioſa vetuſtas
Inuenit, nihil extruxit, nihil edidit vnquam,
Iſtius ingenium quod non æquauerit vrbis.
Hinc mare Tyrrhenum frater qua Tybridis Ar-
Accedit, veterem Pelopisq́; interfluit vrbem, (mus
Ingredimur Piſam, quæ clara prioribus annis
Floruit, & victrix alias frenare ſolebat:
Nunc eadem perpeſſa gemit. ſic tutius arcto
Stare loco, dubiaq́; vices expendere ſortis.
Antiqui ſplendoris adhuc monimenta ſuperſunt
Inclyta, marmoreis fulgentia templa columnis,
Turris & inclinata foris, minitansq́; ruinam
Pendula, recta intus ſi videris. area longa,
Gloria Romani, Decius qua, maxima iuris
Conditus eſt, vbi vicenis & quattuor horis,
Corpora conſumi memorant his obruta terris.
Quin Nicodeme tui monſtrāt monimēta ſepulchri.
Hic quoq́; magnificæ Muſarum & Palladis ædes
Viſuntur, quas Bargæi doctrina celebres
Efficit, aucupij renouat qui verſibus artem.
Altera lux Senæ celebrem nos duxit in vrbem, Senæ.
Virtutum eximiam doctrinarumq́; magiſtram,
Nec reliquis quoq́; magnifico ſplendore minorem,
Atria Muſarum, ſeu templi marmora ſpectes:
Pauperibusq́; datas immenſis ſumptibus ædes.
Cui licet in clypeo patulo lupa fulgeat ore,

Inſigni tamen externos dignatur amore,
Et iuuat officijs. eius laudare puellas,
Blandinis quibus ora roſis, & lumina ſtellis
Certant, & nitidis hebetatur crinibus aurum,
Colla manusq́; niuē ſuperant, vox plectra ſonora
Non opus eſt, laudans vinum, vinoſus Homerus
Creditur. Aeneas decus eſt huic Siluius vrbi,
Poſtmodo qui triplicem geſtauit fronte coronam.

Boneconuentum. *Pegaſeis hanc rurſus equis cùm linquere cœpi,*
Mox Boneconuentum, poſitiq́; in colle Faliſci,
Mons faliſcus. *Dulce propinarunt certans cum nectare vinum,*
Viterbium *Altera lux donec latitans ſub monte Viterbum,*
ROMA *Tertia, poſt Cremeræ riuum celeberrima* ROMAE
Mœnia conſpicienda dedit, collesq́; ſuperbos,
Septembris tum nona dies lapſura ruebat.
Hic Capitolinas primò conſcendimus arces.
Romanumq́; forum, toti mirabile mundo,
Quod quandoq́; auro, gemmis, & marmore fulſit.
Nunc ſine honore iacet, tetris deforme ruinis.
Paucæ illic ſtatuæ tantùm, fractiq́; coloſſi,
Atq; Antonini monſtratur equeſtris imago.
Qua rupes Tarpeia olim, Naſonis & ædes
Auguſto viguere loco, nunc furca nocentum
Supplicijs erecta patet. ſublime Feretri
Quod templum Iouis antè fuit, cœli Ara vocatur,
Intactæq́; ſacrum matri, conſcenditur altis
Plus centum gradibus, tumulo ſpectabile Blondi.

Parte triumphales alia conſpeximus arcus

Septi-

Septimij, atq; Titi Solymam qui diruit vrbem.
Sculptura ſanè egregios: de more triumphans
In curru dux ipſe ſedet, victoria circum
Læta volat, lauroq; ducem victrice coronat:
Fœderis arca ſequens faſces geſtata ſuperbos
Præcedit currum: Solymi vaſa aurea templi,
Et geminæ Moſis tabulæ, ſeptemq; lucernæ,
Et Iudæi etiam vinctis poſt terga lacertis,
Fornice marmoreo inſculpti, cernuntur ibidem,
Exemploq; monent, ſerò minitante nepoti
Non impunè ſacrâs quenquam contemnere leges,
Doctrinamq; Dei, miſſosq; ex æthere vates.
Inde Palatini iuga proxima ſcandimus, hortis
Conſita, vbi Auguſtus, Cicero atq; Hortenſius olim
Magnificas habuere domos, tua bella recenſens
Conſtantine, eius fornix radicibus inſtat,
Artifici dextra ornatus, pictisq; triumphis.
Hinc ad Auentinum recto ſi tramite pergas,
Continuò magni venies ad maxima Circi
Rudera, qui cupidæ ſpectacula poſtmodo plebi
Exhibuit, mons iratæ, conterminus olim
Præbuerat cui ſeceſſum, ſpatiumq; furoris.
Non ego crediderim, hunc tantas traxiſſe ruinas,
Cacus ibi Herculeis labefactum viribus antrum
Cùm miſer ingemuit: quantas nunc eſſe videmus
Montis Auentini, magnæ qui templa Dianæ
Suſtinuit, tenuitq; ſuas hîc Ennius ædes,
Nunc prope pyramidis Ceſti faſtigia ſurgunt.

Cælius hinc medio Laterana palatia tergo,
Et Vallæ tumulos, & ſummi Præſulis arces
Continet. hinc Arcton verſus ſi lumina vertas,
Illa Gigantei moles operoſa theatri,
Aere operâq; Titi, ſuperas ſe tollit in auras
Monte ſub Eſquilio: nitidas vbi marmore thermas
Ille idem, ſimili ſtruxitq; palatia ſumptu.
Aurea profuſi licet hîc domus illa Neronis
Fulſerit, eſt tacitis tamen obſcurata tenebris,
Sed Maro quòd ſolitus ſuauiq; Propertius ore,
Hîc modicis habitare caſis, qua maximus hortos
Mecœnas coluit, nullis abolebitur annis.
Ingenij vigor inſtabili ſic prævalet auro.
Cœpimus hinc dictũ de Vimine ſcandere collem,
Cæſar vbi tantas extruxit Dalmata thermas,
Vt montis bona pars illis contecta lateret,
Nunc inculta iacent diſiectæ rudera molis,
Luxuriæ ſignum veteris, faſtusq; ſuperbi.
Mox vbi magnificas habuit Salluſtius ædes,
Ornatumq; forum, ſublati in rupe Quirini,
Praxitelis Phidiæq; placet ſpectare labores,
Inſtar montis equos ex marmore. colle ſub imo
Celſa tuo Traiane foro fundata columna
Concaua, ſolertiq; manu cælata videtur,
Militiæq; refert varios ſculptura labores.
Plebs hîc Auſonio ſtatuam Romana locauit.
Hinc teretem templi molem, quo pulchrius antè
Et mirabilius tota nil vidimus vrbe,

Siue vetuſtatem, ſumptus, artemve requiris:
Et qua Flaminia iuncta eſt Academia circo
Ingredimur, cupidi doctos audire magiſtros.
Sed Muſis addicta cohors cathedraq́; ſilebant.
Poſt Tyberine tuas campus qua Martis ad vndas
Ludicra cum varijs habuit certamina luctis,
Tranſimusq́; duos, quos diuidit Inſula, pontes,
Ianiculi donec poſitas in vertice ſedes
Qua Ianus pater, & Saturnus condidit arcem,
Contigimus, multisq́; prius vix viſa diebus
Rectius hoc vno conſpeximus omnia colle,
Deſuper oppoſita qui plurimus imminet vrbi.
Hîc plures quàm trecentas dignoſcere turres,
Si libeat numerare, potes, pluresq́; ruinas.
Quid iuuat vſq; adeo vano indulgere labori? "
Terrarum & varios per mille pericula tractus "
Viſere, quando nihil toto eſt durabile mundo. "
Aſpicis impoſitas Romanis collibus arces, "
Et monimenta olim claris decorata triumphis, "
Vt iaceant, proprijs vix agnoſcenda ruinis. "
Et querimur miſeri exiguo ſic corpora caſu, "
Noſtra mori, cùm mundus idē patiantur & vrbes? "
Hæc Roma eſt, Dea terrarum, magno æmula cœlo, "
Quæ titulis æterna olim, ſoloq́; tremenda "
Nomine, ſidereo populis pro numine culta eſt. "
Nunc ſine honore iacet, licet ipſa cadauera tantæ "
Molis adhuc ſpirare minas irasq́; videntur. "
Sed fruſtà. externus nam poſtquam defuit hoſtis: "

» *Viribus ipſa ſuis, in ſe crudeliter vti*
» *Cæpit, vt huic aditus etiam quandoq; paterent:*
» *Iam patuit, viden' vt capiti diadema reuulſum*
» *Miles humi ſtrauit, populis calcata profanis*
» *Sceptra iacent, ſolijq; nitor, faſtusq; ſuperbi*
» *Deſijt, in victa victrix iam Roma ſepulta*
» *Relliquias vix ipſa ſuas, vix nomina ſeruat,*
» *Rebus in aduerſis victrix, ſed victa ſecundis.*

ITER IN Regnum Neapolitanum.

Hinc vbi Parthenopen viſendi cura ſubiret,
Qua mare Tyrrhenũ, violẽtas Tybridis vndas
Imbibit: immenſo quondam celeberrimus orbe
Qui fuerat, portum petimus, vaſtasq; ruinas.
Mox vltra placidoq; mari, ventisq; ſecundis
Prouehimur, donec nutrix AEneia nomen
Caieta. *Cui tribuit, portu feſſos Caieta recepit,*
Inſigni portu, & tuto procurrit in æquor
Vrbs ipſa, & gemino veluti peninſula fluctu
Inſita. turritum ſalſis caput exerit vndis.
Prochyta Inarime *Mane iterum ignoto vitam committere ponto*
Cœpimus, Inarimem donec Prochytamq; legentes,
(Hic vbi terribilis flammam eructare Tiphœus
Dicitur. & verſo terras inuertere tergo)
Miſenus mons *Miſeni ſcopulos procul & Neſida videmus,*
Quam tenebras propter vicino cernere vultu
Non licuit, iam nox atra circumuolat vmbra,
Cumæ. *Cumarum Euboicas dum præterlabimur oras.*
Hic ego Trinacriam verſus dum lumina flecto,

Con-

Conſpicor horreſcens ſinuoſa per æquora, montem
Flammiuomum, ardentemq́; procul, mox litora cir (cum
Sulphure Baiano tetroq́; bitumine fumant
Omnia, fœtenti mare latè impletur odore.
Sed nos, Pauſilypi qua ſe de rupe Veſeuo
Et Capreæ oſtentat pulcherrima Mergilline,
Quaq́; inter medias regina Neapolis arces Neapolis.
Exerit, optato curuantem brachia flexu
Contigimus portum. grauidas Campania vites
Hîc aperit, nunc Hiſpanis gens ſubdita ſceptris.
Parthenope, nutrix magnorum clara virorum,
Diues agris, iucunda loco, portu, aggere, cœlo,
Fontibus atq; hortis longè pulcherrima. laudis
Quis recitare tuæ ſatis hîc encomia poſſit?
Statius ille tuus, noſtro ſi viueret æuo,
Pontanusq́; ſenex: retinens ſi nomina ſancti
Nazarij, aut alij ſupereſſent vrbis alumni
Vix celebrare ſatis te præſtantiſſima poſſent.
Inclyta magnorum nam ſiue palatia regum,
Seu noua, ſeu veterum monimenta celebria rerum,
Siue requirat opes aliquis, ſeu dona Canopi,
Aut patrias merces, aut ſplendida templa domosq́;
Munitasve arces, aut cinctos aggere muros,
Structáve doctiloquis deſideret atria Muſis,
Egregiosq́; viros ſtudijs, & Marte valentes,
Omnia repperiens, nil quod deſideret vltra eſt.
Sed ratio poſitusq́; loci, cœlumq́; ſalubre
Inprimis placuere mihi. combuſta Veſeui

Cornua, doctiloquo quondam fatalia Plinio,
Hîc etiam media fumantia conſpicis vrbe.
Pauſilypus vaſtam protendit in æquora molem.
Extra intraq́ horti tot vbiq́ videntur amœni,
Regifico ſtructi ſumptu, pomaria Cyri
Queis nequeant certare: hederæ, myrtiq́ virentes,
Et citri patulas præbent ſpaciantibus vmbras.
Ad ſolem aureolo fulgentia poma colore,
Maturasq́ vides ficus, & punica mala.
Parte alia cœlo minitantes vertice cedri,
Coniferaq́ caput tollunt ſublime cupreſſi.
Iuniperis etiam locus eſt, lauroq́, nec illis
Palma deeſt, grataq́ frutex lanugine notus
Goſsipij, has inter, pulcris, vmbracula vites,
Aemula porticibus texunt, vndaq́ perenni
Fons fluit, & Pario celatis marmore labris
Lympha cadens, excepta ſonat, ſiphonibus altis.
Sed tamen ante alios longè caput extulit hortos,
Quem Capuam qua ducit iter, Sebethus amœnus
Alluit, & fontes vrbis ſub mœnia ducit,
Hortorum decus egregium. Pulcherrima tellus,
Quam neq́ rugoſo ſæuus ſpiramine Caurus,
Hybernaq́ niues, aut brumæ frigora lædunt.
Hîc quoq́ Pontani tumulum ſpectare placebat,
Struxit vbi paruum doctiſsimus ille ſacellum,
Supremisq́ ſuos titulis ornauit amicos.
Non mihi iam nitidos quos hæc alit ora caballos:
Non fontem qui præbet aquæ gratiſsima nautis

Munera, dum ſalſis dulces interuomit vndas.
Non varios fructus, & amictas vitibus vlmos:
Non agros, & quanta illis opulentia frugum:
Non arces laudare libet, portumq́ capacem.
Quæ niſi viſa fidem nulla ratione merentur:
Hinc vbi bis ſexta rurſum diſcedere luce
Viſum erat: impediere imbres, qui fluminis inſtar
(Pontib. exitium & muris) è monte ruentes,
Præcipites ſecum ſiluas & ſaxa trahebant.
Vnaq́ nox tantum ſtragis dedit, integer anno
Quàm dare non poterat, iunctis exercitus armis.
I nunc, & rerum vires contemne parentis.
Hinc tamen ad templum quod condidit Actius, ipſe
In quo marmorea poſt fata quieſceret vrna,
Venimus: vt Muſa tumulo ſic ille Maronis
Proximus eſt. ſupra tenuit Maro namq́ ſepulchrũ,
Hic vbi Pauſilypi vaſtum ſpecus intima montem
Perforat, & longo ſuſpendit deſuper arcu.
Hanc quoq́ cum ſocijs, prælato lumine, cryptam
Ingreſſi, aſpicimus loca ſubterranea, plena
Pulueribus, tenebrisq́ atris, & nocte profunda.
Xerxei ſudoris, Atho qui effodit, vt aiunt,
Magnũ opus et magni monumentũ inſigne Luculli.
Hoc face proiecta poſtquam de fornice ceſſi,
Vndiq́ ſulphureo paulatim implentur odore
Omnia, nec procul eſt lethale in vallib. antrum,
Antrum horrendum, halans imo de monte venenũ,
Monte vaporiferis circum ſudante cauernis.

Quiſquis in hunc caſu vel vi deuenit hiatum.
Semianimis celeri quatitur vertigine: quòd ſi
Non ſubitò redeat, vita ſub monte relicta
Mortuus extrahitur. ſubitò retractus anhelus,
Vicina recipit vitam motumq́, ſub vnda
Immerſus, ſæpe id volucres, aſiniq́, canesq́,
Interitu docuere ſuo, vitaq́, recepta.
Eſt prope flammiuomo vallis circumdata mon-(te,
Sulphur vbi & magnis ſpectatur alumen aceruis,
Vallis hians rimis, ſonitum pulſata remittens,
Et ſpirans piceos per crebra foramina fumos.
Sulfurei circum latices, & pingue bitumen
Tartareo exultant efferueſcuntq́, tumultu:
Fumoſis ſupra nebulis inuoluitur aer:
Et phlegetonteam exhalant loca cuncta Mephitim.
Depaſti circum ſcopuli, flammasq́, vomentes
(Non bene, ne nimium procedite, creditur illis:
Puteoli. *Dant ſtrepitum, gemit exeſis mons ipſe cauernis.*
Vidimus hinc veteres vrbis Dicæarchidos arces,
Quam bene florentem Delum dixere minorem:
Calligula & calidis illam coniungere Baÿs
Arte volens, validum ſinuoſa per æquora pontem
Struxit adhuc cuius pilæ monimenta videntur,
Miſenius. *Quas prope Miſenus medias procurrit in vndas.*
Quid tibi iam celſi memorem faſtigia montis?
Tempore qui noſtro, viginti & quattuor horis
Planicie in lata, terram quatiente tremore.
Exſilÿt, vaſtam iactans ad ſidera molem.

Quid

Quid tibi Cimmeriјs cultum prædonibus antrum?
Quidve lacum? quẽ Virgilius deſcribit Auernum, Auernus
Quem ſuper haud vllæ poterant impunè volantes Antrum
Tendere iter pennis. tibi quid ſecreta Sibyllæ Sibyllæ.
Aut Labirynthеis monſtroſa ambagibus antra?
Quid thermas tibi Baiarum? montiſq́ meatus Baiæ.
Aeſtiferos intus, cæſaq́ cubilia rupe,
Inq́ latebroſis quid ſudatoria ſaxis,
Rudera quid, Cumasq́ canam, celebresq́ ruinas? Cumæ.
Singula quæ proprios poſcunt celebranda libellos.
Iamq́ inſtare meo finem breuis hora labori
Indicat. exilio clarum tumulóque vetuſto
Scipiadæ, mox Linternum (quod Patria iam nunc Linternum
Dicitur, ob titulum, moriens quem Scipio ibidem
Iuſſerat aſſcribi cippo. patria inuida nobis
Atq́ ingrata etiam, nec iam morientis alumni
Oſſa habitura vale) quin & Claniumq́ paluſtrem
Vulturni & gyros naui ſuperauimus ampla.
Vidimus hinc nitidum Cauri in radicibus hortum:
Minturnis etiam Lyrin ſuperauimus amnem, Minteurnæ
Mox Laſtrigoniјs quandóque infame latebris
Oppidulum, Ciceroneis poſt nobile villis:
Sub noctem Fundos petimus, quà citria ſummo Fundi.
Vertice ſubiectis deſpectat Cacubus hortis.
Mane nouo impoſitũ ſcopulis candentibus Anxur, Anxur.
(Tarracina alio nunc nomine dicitur) inde
Cæſaris Auguſti in patriam, nos Appia duxit.
Appia nobilium quondam regina viarum.

Mane

Mane ad aquæductus veteres, portamq́ Latinam,
ROMA. *Romanos iterum colles vrbemq́ ſubimus.*
Iam mihi Pontificem labor eſt, molemq́ videre
Olim Adriane tuam, populis vbi numinis inſtar
Præſidet, & miſeros excelſa terret ab arce,
Qui reſerare poteſt & claudere ſolus Olympum.
Qua Vaticani iunctos videt area montes,
Aſpicienda patent celſi faſtigia Petri.
AEris inaurati nux illic pinea, multos
Alta pedes, primo aſpicitur. pars vnica vaſtæ
Arboris, hîc olim quæ cœlum erecta petebat.
Arbiter imperij Magno prognatus Othone,
Magnifico moriens hîc ſeſe marmore texit,
Ante fores quod pollutum, ruptumq́ patensq́
Negligitur. templum Sadoleti continet vrnam.
Pontificumq́ aliquot tumulos ex ære micanti,
Aenea quin Petri effigies ſpectatur ibidem.
Non iam Pontificis Bellos quos vidimus hortos,
Non arcem tibi commemoro: non Bibliothecam,
Innumerosq́ libros: non ampla palatia laudo.
Feſtus agebatur fortè illo tempore, magna
Quo pompa adueniens Gallorum nuper ab oris
Excipiebatur ſolito legatus honore.
Hîc ego Pontificem ſolio ſplendente locatum
Et circum rubeos geſtantes fronte galeros,
Vno omnes vidi intuitu, ritusq́ notaui.
Nomine legati Gallorum encomia regum,
Clara vbi facundo Muretus dixerat ore,

Nobili-

Nobilitas comitata ducem, ter poplite flexo,
Præſulis ante pedes procumbit, & oſcula figit,
Et planè affectum ſummo ſe credit honore.
Quin tabulas circum ſi picta per atria luſtres,
Inuenies ſimul, vt faſtu deluſus inani,
Pontificem ſupplex Cæſar Fridericus adoret,
Egregium vero ſpecimen virtutis auitæ.
Parte alia, totum cunctis cum tractibus orbem,
Diuerſosq; habitus hominum, moresq; videmus,
Artifici dextra expreſſos, titulisq; notatos,
Dignum opus aſpectu, pictisq; inſigne figuris.
Tum quoq; ſuauiloquo doctoq; Manutius ore,
Me placidè excepit, fandi clariſſimus autor.
Hîc tibi ſi cryptas extra quas vidimus vrbem,
Queis latuere pij, gens olim inuiſa tyrannis,
Chriſticolæ, effoſſis loca relligioſa cauernis:
Si templa Agnetis, Pauli, Circosq; referrem:
Tempore deficerer. tu ſat mihi viſa ſecundùm
Roma vale, repetamus iter patriosq; penates.
Flaminia ergo via, & tumidis nos Muluius ũdis Iter Heluetium.
Pons capit, Ocriculum dum tendimus et Spoletum,
Qua Clitumne tuas cingit vetus Vmbria ripas.
Tollentina Deum terreſtrem curia laudat.
Poſtmodo Lauretum ruptis dum terga veredis Lauretum.
Pergimus, ambiguo, me pene Potentia flexu,
Ignotis, affixus equo, dum luctor in vndis,
Perdidit. Anconam Piceni ad brachia portus;
Poſtera lux, ſuperiq; maris nos duxit ad vndas, Ancona.

Hic

Hîc vbi Cyriacus Cimmeræ in vertice montis
Senogallia. *Trans mare, Dalmaticas in littore deſpicit vrbes.*
Piſaurum. *Gallorum hinc Senonum ſedes, clarumq́ Piſau-*
Ariminum *rum,*
Arimino & paruum veni Rubiconis ad amnem:
Quem quicunq́ olim ſumptis tranſiuerat armis,
Bononia. *Creditus eſt hoſtis Romæ patriæq́ futurus.*
Tertia Felſineis iterum nos intulit oris.
Mox vbi læta Ceres fœcundis fluctuat agris,
Mutina *Et Mutinam, Lepidiq́ vrbem, Parmamq́ niten-*
Parma *tem,*
Placentia. *Vicinosq́ Pado, qua longa Placentia muros,*
Mediolanum. *Et Mediolanum culto caput exerit aruo,*
Vidimus Inſubriæ tractum, Lambriq́ fluenta,
Et templa Ambroſij, ſacro celebrata ſepulchro.
Nouocomum. *Inde Nouocomum veniens, te maxime Lari*
Luſtro etiam ſtatuas, magni quas vrbis alumni
Cæciliusq́ nepos, & auunculus ille Secundus
Plinius, ingenio à patrio meruere ſenatu.
Hæc eadem Iouio patria eſt, ibi tecta videntur
Eius, imaginibus doctorum ornata virorum.
Poſtera Luganūq́ lacū, monte vndiq́ cinctum,
Belinzona. *Atq́ Belinzonæ Ticini ad flumina turres,*
Stagnaq́ Verbani, ſummas oſtendit & Alpes.
Heluetios Italis dirimit mons aſper ab oris,
Pars Adulæ, Bernardinum dixere Meſauci.
Eius inacceſſas nunquam contingere rupes
Ver potuit, non huc Bacchus, philomela, Cereſue,

Non

Non aſtas adijt: glacies hîc matris ab aluo
Excipit, & teneros durat vi frigoris artus
Cuſtodum pecoris: ſiccos cùm Sirius ardens
Vrit agros alibi: rigidis in cautibus illic
Regna tenet deformis hyems, Cauriq́; furentes
Bella gerunt, alteq́; niues in montibus altis
Extructa terramq́; grauant atq; horrida ſaxa
Ipſe fremens ſonitu, caput inter nubila condit,
Phœbeosq́; procul ſcopulis intercipit ignes.
Innumeris circum glacies criſtallina ſeclis
Indurata riget. per adeſas ſpumea cautes
Vnda ſtrepit: mons ipſe aſtris conterminus albet.
Heu mihi diſſimili quàm nunc regione tenemur
Italiæ? heu labor eſt quantus, quantúq́; periclum
Lubrica tam duro veſtigia figere cliuo,
(Expertus didici ſummo in diſcrimine vitæ,
Prærupti in nemoris dorſo dum tranſigo noctem,
Solo extans capite interdum, ſenſimq́; rigeſcens,
Et tumulis niuium fruſtra me euellere tentans)
Nix oculos faciemq́; petit, prolixaq́; mento
Stiria dependet: cùm te iam iamq́; tenere
Summa putas, huic inſiſtens mox altera moles
Exoritur, montis vicina cacumina cœlo
Oſtentans, creſcitq́; labor. de fronte capillos,
Multis acre gelu, ſilicem quod findere poſſet,
Euulſit: multi dira ceu Gorgone viſa
Frigore diriguere. arctis anfractibus illic
Eſt iter, & circum è ſcopulis nix alta minatur.

Quam

Quam volucris moto quandoq; leuiſsima ramo
Impulit, illa cadens, magnis glomerata ruinis,
Eruit auulſas ſummis in montibus ornos,
Cunctaq; præcipiti ſecum rapit obuia flexu.
Fit fragor, ille nouam labefactat in aëre molem,
Quæ ſequitur, celeriq; volans petit ima rotatu:
Non ſecus ac cœlum rueret mons ipſe remugit.
Infelix, quicunq; viæ ſe credere tali (*pes:*
Tempore, & horriſonas tranſmittere cogitur Al-
Non ille aut patriam veteresq; reuiſet amicos.
Euaſi tamen iſta, Deo ducente, pericla,
Quo ſine nulla fuit vitæ, ſpes nulla ſalutis.
Parte alia Bernardinus qua reſpicit oras
Heluetiæ, tenui prognatus origine Rhenus
Per ſilices riuo exiguo prolabitur, inde
Continuo effuſis paulatim è montib. vndis
Surgit, & aurifluo latè ſe margine pandit.
Vndiq; donec aquis ſæpe auxiliaribus auctus,
Teutonicas rauco cum murmure præterit vrbes.
Flumine dehinc iuſto maior, ſe in brachia plura
Diuidit, & Batauos geminis amplectitur vlnis
Spumifer, agricolis magna vix mole docendus,
Vt ſegeti & domibus parcat; mox vaſtior alueo
Influit Arctoum complura per oſtia pontum.
Sed quæ præterea hîc tulerim: quàm proximus
Iã morti, angelico fuerim defenſus amore: (*atra*
Vt Rheni hîc ſcatebras, cuius prius oſtia vidi
Et Churæ vt templũ, delecti & præſulis ædes,

Riua-

Riuanumq́ lacum attigerim: Tigurúmque celebrē
Geſneri patriam: vt Iura quoq; culmina montis
Sint ſuperata mihi: Baſileæ vt mœnia tandem,
Vtq́ typos Oporine tuos, vrbémque Trebocûm
Luſtrarim: quo ſit reducem complexus amore
Marbachius: doctóque ſenex vt Sturmius ore,
Fabriciusq; ſacris decus indelebile Muſis,
Multa mihi dederint ſynceri ſigna fauoris.
Hæc alio dicenda loco. Rex optime regum,
Signifer & cuſtos, dux & tutela tuorum,
Chriſte Deus, tibi quo grates ego carmine dicam?
Quæ ſuper aſtra tuas tollent præconia laudes?
Quòd me iam reducem iuuat euaſiſſe tot vrbes
Eximias, mediumq́ viam tenuiſſe per æquor.
Atq; adeò cœli quòd lumen amabile cerno:
Ereptusq́ malis, ipſaq́ ex morte receptus
Quòd valeo: acceptum refero tibi: ſedulus ergò,
Te mihi dante, tui poſthac celebrator honoris
Semper ero, dum lingua mihi, dum vita manebit.

HODOEPORICON
ANDREAE LYMVICI CIMBRI.

NOBILITATE GENERIS, SApientia & pietate clariſsimo viro, D. Iohanni Schougard, Dño de Schougard, Sereniſsimo Danorum Regi à Secretis, Domino ſuo reuerenter colendo.

QVòd luſit numeris Thalia paucis,
Mecœnas legito, benignè, carmen,
In quo ſum breuiter viæ peractæ
Conatus memorare ciuitates,
Et Muſis loca conſecrata caſtis,
Præſtanteſq́; viros, remotiore
Quos terra licuit videre nobis.
Te Danis ſuperi diu reſeruent,
Votis perpetuis precamur omnes.

HODOEPORICON.

VT liquit Taurum Phœbus fratreſq́; reuiſit
Tyndareos, terramq́; æſtu maiore premebat,
Digredimur valida, ſurgunt vbi mœnia ad Albim,
Leucorea, Muſis quæ ſacra pijs, & alumnos
Innumeros quæ ſemper alit, niſi diſsipat illos
Fœda lues, populóſue ciens in prælia Mauors:
Quò varijs oriunda locis ſtudioſa iuuentus
Confluit, & celebrem ſolito de more Coronam
Scripturas dextrè ſacras arteſq́; docentem
Auribus intentis audit, veneratur, amatq́;.
Leucorea egreſsi, fida ſtipante caterua

Atq;

Atq; pias iungente preces, iacet arbore opaca
Kemberga, & denſis tandem caput exerit alnis,
Huc ſocios ducunt ſocij, dextrasq; daturi
Verba inter ſeſe miſcent, & talia primus
Voce ſonat: vel iam noſtros linquamus, vt ipſum
Maturent abitum, & ſuſcepto tramite pergant,
Hoſpitio excipiatq; aliquis, prius Oceano nox
Quam ruat, & gelidis mergatur Phœbus in vndis:
Aut omnes iuncti noctem hanc læti peragamus.
Dixerat: & cunctis potior ſententia viſa eſt,
Kembergos intrare lares notosq; penates.
Interea verubus dum membra trementia figunt
Et dapibus menſas onerant ac pocula ponunt,
Cæteraq; expediunt conuiuia læta parantes,
Vrbem luſtramus ſacramq; ædem, venerandi
Quæ Senis oſſa tegit non iuſto vulnere cæſi
Hiſpanus quando miles graſſatur in oris
Saxonicis, nulli parcens, ſed more Gigantum
Bella mouens ſuperis, quo non immanior alter.
His ita luſtratis placuit ſuccedere tectis,
Et labente die conuiuia lauta agitare,
Dum nox atra redit, ſuadentq; cadentia ſomnos
Sydera, & oppreſſos lentè ſopor occupat artus.
Poſtera Phœbea irradiat dum lampade terras
Aurora, egredimur Thebas rectà ſubituri.
Hîc liquere ſuos ſocij votisq; ſequuntur.
Interea ſyluas ſoli peragramus apricas
Illuc qua ducunt, curas ſermone leuantes.

Præcipitamus iter cœptum, Thebasq́ ſubimus.
Illinc digreſsis celebris tua Lipſia tandem
Mœnia ſe tollunt & propugnacula ſumma,
Sed prius inuiſam greſſu quàm venimus vrbem
Atra venit nubes, & largus decidit imber,
Quem veniens Phœbus ſoluit radijsq́ fugabat.
Vt verò ad portas ventum eſt, turresq́ ſuperbas,
Aera ſonum campana dabant, plebémque vocabant
Ad ſacra, conſequimur reliquos & templa ſubimus.
Inde cibis animæ paſti ſpaciamur in vrbem,
Aſpicimusq́ minas murorum & ſplendida tecta,
Et loca diuinis quondam delecta Camœnis,
Muſarumq́ ædes celebres, quò caſta iuuentus
Accelerat, doctos cupiens audire Magiſtros.
Poſtea miranda conſtructas arte videmus
Arces, quas poſuit nulli pietate ſecundus
Aut animis, cuius laudes noménque vetuſtas
Nulla abolere poteſt, Dux inclytus atq́ benignus
Mauritius bello clarus, quem ſæpè timebat
Turca ferox, aliàs qui formidabilis omni.
Interea Phœbus longè progreſſus ab ortu
Vergit ad occaſus, & nox inopina recurrit
Tecta ſubire monens, dulci & dare membra quieti.
Sed vix in terram radios Titana videres
Spargere, cùm ſomnos rumpo, ſtratumq́ relinquo.
Et rurſus dant æra ſonum, plebs vndiq́ præſtò eſt
Ad ſacra, ſed ſoli ſtabamus ad atria templi
Conſpecturi vrbis proceres, ſummóſque Magiſtros.
Et

Et demum ex voto Rector comitante caterua
Aduenit, inſequitur iuuenum pulcherrima turba,
Hinc vrbis patres clari, prudensq́ Senatus.
His ita perſpectis, fulgentia templa ſubimus
Audimusq́ ſenem te Pheffingere docentem.
Poſtea dum ſolito facta eſſent ſingula ritu
Ex turri ſigna æra dabant, ad prandia quemq́
Læta venire iubent, magnum tunc vndiq́ templum
Præſtantes reddit populos, tunc fortè videmus
Iamdudum optatum celſæ qui præſidet arci
Petrum, quem ſtudia extollunt, cui Martia bella
Diuitias & opes, æterna & nomina donant.
Vix exempta fames epulis, menſæq́ remotæ,
Annua dum populus redit ad ſpectacula cunctus.
Eſt vrbe egreſſis locus & gratiſſimus vmbra
Et gelidis riuis, & odoro flore, canora
Hîc Philomela canit per amica ſilentia noctis,
Hîc varias audire potes voces, ſtrepitusq́
Gutture quos ciet in cœlum ſurſumq́ deorſum
Remigio alarum gracilis dum peruolat ales.
Hàc iter in campos virides, vbi maxima malus
In cœlum erigitur, validiq́ ex ordine tigni
Fune coarctantur, pes fulcris ſtipitibusq́
Nititur innumeris, ſed pars ſuprema tenetur
Chordis ad latera extenſis, ne quò ruat ipſa
Sydera contingens moles, aut cederet auſtris,
Vertice at in ſummo de ligno infigitur ales
Pennas expendens, inſtar volucris volitantis.

Huc ſtudioſa cohors fluit, huc delecta iuuentus,
Et pars magna vrbis ruit vt certamina ſpectet,
Pars iuuenum exercebat equos: pars altera luſus
Exhibuit varios, opere omnis ſemita feruet.
Ac velut in populo ſubitus dum fortè tumultus
Exoritur, dum ſaxa volant & miſsile telum,
Vndiq; concurrunt homines, iuueneſq; ſeneſq;:
Haud aliter populus Lipſenſi ex vrbe ruebat,
Impletas humeris geſtans de more pharetras,
Illi arcus thecis promunt, hi tela repoſta,
Et neruos aptant duros, dum tertius alas
Telorum explorat, vel quid ſua fibula poſsit.
His ita compoſitis, ſubitò dant tympana ſignum
Ac alios inter quidam ſic voce profatur:
Incuruate arcus lentos, iacite vndiq; tela.
Sic ait: & telum volucres diuerberat auras.
Hi metam pulſant, alius ſed arundine malum
Vix ferit, & fruſtra rigidos contorſerat arcus.
Excurrunt pueri, celeres quibus addidit alas
Impendens metus, & vitæ non parua pericla,
Hi telum inquirunt miſſum dominiſq; miniſtrant.
Tunc alios inter Præſes manibus capit arcus
Et neruos tendit lentos, & miſsile adaptat,
Inſpiciunt omnes, ad metam hic lumina vertit
Candida, vix niueos oculos in ſigna leuarat,
Cùm paſſæ ex alto pars maxima decidit alæ,
Et tremit in valido mutilatus robore truncus,
Deiectaſq; legunt partes certamine paruo

Non ſine. namq; animis puerilibus & breuis ira eſt.
Ac velut ingentem cùm fortè lupum benè cautus
Agricola inſidias ouibus pecoriq; ſtruentem
Conſpicit, exclamat, ſocios vocat, arripit arma,
Aggrediturq; hoſtem, reliqui comitantur euntem
Fuſtibus armati, & victori præmia ponunt.
Tunc quiuis laudem affectat plauſusq; ſonantes
Expetit, & iaculum fugientem torquet in hoſtem:
Sic animis pueri vigiles, nec corpore ſegnes,
Fruſta legunt auidè, certa & ſibi munera poſcunt.
Hæc ita dum fiunt, alio certamine vidi
Certantes alios, longoq; ex ordine dextra
Mittentes globulos, quibus & victoria grata eſt.
Talia per ternas ſpectauimus vndiq; luces,
Quarta ſed exoriens denſas aurora tenebras
Dum pellit, prope Naumburgũ diuertimus vrbem,
A quo non procul eſt ſtudijs gratiſſima ſedes,
Et Muſis decreta pijs, quæ Principis illic
Auguſti pietate viget. Poſt millia plura
Erfurtum ſurgit ſtatio iucunda Camœnis.
Ille vbi magnus agit Cnauſtinus, & alma reuoluit
Iura Themis tua, defenſor pietatis & æqui.
Inde Gotam petimus muris ac turribus altis
Naturaq; prius firmam, ſed Martia bella
Quid non concutiunt? quid non euertere poſſunt?
Tot caſus, tantæq; vices, tantiq; labores,
Vſq; adeò nihil eſt ſtabile, & nihil vndiq; tutum
Rebus in humanis. Hinc tecta ignota ſubimus

Doctus vbi piſcator agit, Chriſtoq́ fideles
Lucratur multos, vitaq́ pia præit omnes.
Non procul à tumidi montis radice perennis
Fons eſt, qui rapidis impellit tympana riuis,
Quæ frumenta terunt, aut arma ærugine purgant.
Poſterus vt gratum præbebat Lucifer ortum,
Ponimus Helpurgum metam, feſsiq́ quietem
Hîc pedibus dare mens fuerat, ſed luce ſequenti
Heſperijs Titan dum ſeſe occultat in vndis,
Propoſitis primùm licuit ſuccedere tectis.
Ignoti lautè excipimur, nec ſoluere quicquam
Conceſſum fuerat: manet ergò gratia facti
Semper apud memores, dederint dum viuere fata:
Quinetiam quæ Pambergam deducit euntes,
Hoſpitis ex iuſſu via demonſtratur ituris.
Non procul Helpurgo eſt ſcopulis altiſsima duris
Arx ſita, cui rigidum eſt vero pro pariete ſaxum,
Muſcoſæ & rupes ſunt fundamenta domorum
Non ruitura, iter hàc. in celſis lumina muris
Figimus extemplò, mirantes vnde ea moles
Quemuis vel montem ſuperans ſcopulosq́ minaces.
Inde per irriguos Francorum tendimus agros.
Poſtera lux Phorchaimi tandem nos ducit in vrbem
Mœnibus & riuis claram. Pòſt Norica tecta
Auſpicibus ſuperis petimus, fragrantia prata
Calcantes pedibus, via quæ pergrata tenellis
Eſt plantis. nam cùm nimio ſiccantur ab æſtu,
Vrceolis gratum ducunt in prata liquorem

Tym-

Tympana, non alios propter ſabricata labores.
Nam velut in viridi dum ſolus obambulat horto
Fundator ramale ligans, aut falce nociua
Membra putans, etiam puluinum accedit amœnū
Vt flores legat, & grato ſe oblectet odore,
Cùm fibras videt exangues, & vertice ſummo
Flores exuſtos, & nullum in ſtipite ſuccum,
Mox læſos gelido perfundit flumine neruos,
Vt ſucco paſti gelidoq́ liquore refecti
Vires concipiant, & tempore ſemina promant:
Sic quoq́ Ruricolæ Pegnitzi in margine agentes
Qui terram exercent ſueti perferre labores,
Cùm tenera aſpiciunt flauentis gramina campi,
Ardentis Phœbi nimium combuſta calore,
Organa mox aptant ſolita, ac in prata reducunt
Herbas potantem lympham, abſtruſosq́ receſſus.
Iamq́ dies elapſus erat, cùm tecta ſubintro
Erlangi, & tenebras cœpit nox ſpargere denſas.
Hoſpitio excipimur, nobis ſed miles auarus
Quos poſuit laqueos, cautè quæ retia fixit,
Qualiter & profugus dictis inceſſit amaris
Muſa ſile, his etenim poteris renouare dolores,
In dubijs præſtò eſt diuina potentia rebus.
Cùm primùm Oceani Phœbus caput exerit vndis.
Maturamus iter, memores hominis ſceleriſq́.
Ac veluti perdix extenſa vbi retia rupit,
Non patulo pennis audet ſe credere cœlo:
Sed potius ſulcos quærens, benè conſcia fati

Fortunæq́; ſuæ, gaudet quòd tanta pericla
Inſidiasq́; graues vicit: Sic ſemita quæuis
A triuio ſemota fuit gratiſſima nobis.
Ter dena extulerat vix puncta æquator in altũ
(Nam pedibus celeres noſtris timor addidit alas).
Vidimus vt turres Noricas & mœnia celſa.
Conſtitimus, pariterq́; oculos ad ſumma leuantes
Sydera, dijs ſuperis toto de pectore grates
Fundimus, exuimusq́; metum curasq́; moleſtas,
Ingredimurq́; vrbem muris ac turribus altis
Splendentem, primumq́; Sebaldi inuiſimus ædem.
Hinc alias vrbis partes luſtramus & ædes
Summorum aſpicimus procerum, doctiq́; Senatus
Atria, & in duris fundatas cautibus arces.
Poſt ea mercatus varios, merces vbi caras
Exponit populus, comportat & omnia venum.
Deinde iuges puteos, fontes ac arte canales
Confectos mira gelido qui flumine abundant.
Quid referam artifices, quorum tam nomina latè
Sparguntur, quos Cecropius nec Dædalus arte
Vulcanusq́; æquare nequit, ſuperare nequaquam.
Sed vocat hinc aliò tempus, properare neceſſe eſt,
Vrbs igitur valeas toto notiſſima in orbe,
Cultrix iuſtitiæ, veræ pietatis amatrix,
Artificum mater, Francorum gloria prima.
Aichſtadiũ hinc petimus Martini vbi præſulis arces
Excelſa ſplendent, mox Ingolſtadica tecta
Iamq́; dies alterq́; fuit, conſurgere cœlo

Danubij ad littus rapidi cùm vidimus arces,
Hîc loca diuinis primùm conſtructa Camœnis,
Et ſtudijs fundata bonis, quò docta frequenter
Turba ruit, petimus, celebresq́; audire magiſtros
Mens erat, ingenuæ tradũt qui dogma Mineruæ,
Et leges ſacras patriúq́; Machaonis artes.
Nam taceo reliquos ab Ieſu nomen habentes.
Hinc ædem ſacram tibi mater virgo dicatam,
Doctorum quæ buſta tenet non pauca virorum,
Et monumenta alia inſigni de marmore & ære.
Eccius hîc reliquos inter ſplendentia buſta
Promeruit, magnumq́; inuicti nomen adeptus
Propugnatoris Romanæ ſedis & aulæ.
Deinde per excelſas ſpactamur Principis arces
Mirantes muros, & propugnacula, belli
Tempore quæ diros arcent à mœnibus hoſtes,
Congeſtum hinc terra vallum, foſſasq́; profundas.
Præterea ad rapidi ſinuoſa volumina greſſum
Danubij ferimus, qui murus aheneus vrbis,
Et quouis potior muro, quo machina nulla,
Cœlo æquata licet, venienti ſæuior hoſti eſt.
Ter poſtquam Phœbus vaſtum illuſtrauerat orbẽ,
Auguſtam petimus, properans vbi Lycus inundat.
Vt verò ventum ad portas, vbi murmure rauco
Danubius fluit, ac muri fundamina lambit,
Mox abitum prohibent, vnoq́; hæc ore ſonabant:
Nil leges poterunt? nil vlla edicta valebunt?
Sic leges violare iuuat? vos cauſa tumultus

Com-

Commiſſi, non ſic impunè euadere iuſtum eſt.
Hæc vbi dicta dabant, ad diuerſoria nota,
Noſtri narrantes reditus cauſam, properamus.
Hoſpes at inſignis ſubitò comitatur, & omnem
Exponit cauſam, cur nulli exire liceret
A ſtudijs cui nomen erat. nam nuper in armis
Turba fuit Marti quæ militat atq; Mineruæ,
Ille ergò veniens, culpa nos liberat omni.
Ignarosq; rei motusq; enunciat eſſe.
Sic miſſi patulis Sueuorum erramus in agris,
Auguſtæ impulſi fama, quò ſæpè Monarcha,
Imperij proceres quouis vocat ordine ſummos,
Et dubijs de rebus agit, regniq; ſalute.
Hîc labente die portas intramus & ædem
Virgo tibi ſacram, verax nam fecerat antè
Fama fidem, Otthonis Romani Cæſaris oſſa
Hîc condi, Videkindo qui primordia traxit,
Saxonicis terris regalia ſceptra regente.
Tertius hoc etiam Fridericus ſanguine cretus
Saxoniæ princeps, maiorum ſtemmate motus,
Candenti Otthonis reparat marmore buſta.
Prætereo reliquos celebri de ſtemmate natos,
Hîc ſua qui terræ mandarunt oſſa voraci.
Hinc Annæ templum, diuini vbi ſemina verbi
Purè ſparguntur viſo, celebresq; Miniſtros
Doctoresq; pios cerno, hîc præclara locantur
Buſta pijs ſelecta viris, quos mortis imago
Perpetua hoc opus abſolui fieriq; iubebat.

Nunc

Nunc taceo doctos, quorum non copia parua eſt,
Fucheros proceresq́; vrbis populumq́; loquacem
Atq; alia. Hinc viſum eſt omni contendere cura
Inſpruchum (ſic fama refert) quod nomen ab Oeno
Traxerat, inſigni fluuio hîc vbi mœnia ſurgunt
Fernandi Ducis Auſtriaci. licet ære Coloſſos
Hîc ſpectare graues, quæ ſunt monumenta potentū
Certa Ducum. Montis iuga mox cōſcendimus alta,
Pozoniaq́; aliquot luces poſt limina feſſi,
Tangimus. Inde Tridentinis ſuccedere tectis
Trita via eſt, hîc Italicas contingimus oras.
Quintus ab Oceani poſtquā iubar extulit vndis
Lucifer, ad Venetos nos curua carina vehebat.
Vrbs igitur ſalue toto celeberrima mundo,
Cedat Roma tibi, cedat Florentia bella,
Atq; aliæ cedant, quas Phœbus conſpicit, vrbes.
Nam veluti reliquos Titan ſplendore planetas
Ac claras ſuperat ſtellas & lumine priuat:
Adria te ſola Oceanum ſic vincit vtrumq;,
In gelidis nec habet quod ſic iactauerit vndis,
Quem pelagi Regem veteres finxêre Poëtæ.
Mœnia firma tibi campus ſalis ære ſecandus,
Deinde Ducis procerumq́; vigens concordia vallū,
Quouis vel vallo potior, quam machina nulla
Aut aries violare poteſt, aut rumpere telum.
Hoc igitur durante ſilent Mauortia bella,
Nec ſtrepitum faciunt. namq́; irritare quietos
Non tutum eſſe reor, quia iunctum frangere robur

Cor-

Corpore q; valet ac animo, eſt opus arduũ et ingens.
Sacra parabantur Baptiſtæ vt panda carina
Reddidit aductos, igitur nos luce ſequenti
Viſuri ritus, Marci cõſcendimus ædem,
Qui Venetûm veteri de more Patronus habetur.
Sed magna ignoti cùm fortè erramus in vrbe
Templa petituri, concurrunt vndiq; ciues,
Dum dulces reſonantq; fides & tympana doctis
Pulſantur digitis, iuncti ſimul ordine bini
Procedunt ſocij, hîc ſtantes ſpectacla nouarum
Miramur rerum, iaciuntq; ex ordine cuncti
Argentum ille, aurumq; alius, quo vaſcula cõplent,
Quæ manibus portat quidam, dant munera cuncti.
Interea aduenit caſu Germanus eandem
Viſurus pompam, dubijs hîc ſingula narrat.
Alba, inquit, medio populo quem veſte videtis
Ornatum, ſacra eſt ad Baptiſteria nuper
Ablutus lympha, Iudæa gente oriundus,
Huic ſoli cedunt, populus quæ munera donat,
Conuerſo hunc habitum, totius tempora vitæ
Donec agat, tribuunt, reliqua vt de gente colore
Noſcatur proprio. his confectis ordine pompis,
Intramus ſanum tibi Marce ſacrum, rutilanti
Auro quod ſplendet, Pario quod marmore abundat.
Huc proceres vrbis veniunt, ſummusq; ſenatus
Et varia de gente alij (nam Climate mundi
De quouis, multos peregrè acceſſiſſe videbis
Vrbem viſuros tantam, mercesq; probatas

Vt redimant, rurſusq́; ſuas exponere venum
Quò poſſint) adſunt cumulantq́; altaria donis.
Hic Græcos, Turcasq́; feros, Syrosq́; remotos,
Germanosq́; pios, alia & de gente profectos
Confluere accipies, pelago & ſe credere triſti.
Sed Venetûm laudes celebrare volens vagabundum
Littus aro, quoniam populum legesq́; ſacratas,
Armatamq́; manum, claſſem, tormenta, feroces
Quæ Turcæ metuunt, dignè quis diceret vnquam?
Regina ergò maris valeas. Antenoris vrbem
Nunc petimus, cui das leges, ac iura miniſtras.
Tempus erat gelidas cùm Titan iret in vndas,
Tum ligno ſulcamus aquas, & carbaſa in altum
Tenduntur, nocte hac vicibus mea ſarcina trinis
Monſtrata eſt, merces namq́; inquirũt Venetorum
Quas populus vetat auferri, nec nautea ab ipſis
Non luſtrata manet. noctẽ intempeſtam vbi gallus
Nunciat, haud facilè hoc credas, mira arte recentẽ
(Per terram) in fluuiũ vehimur, nil lintea proſunt
Remigiúmue valet, coniunctis deinde caballis
Pro velis vſi Patauinæ allabimur vrbi.
Hîc hærere dies aliquot nos mente agitamus,
Atq́; audire viros, quorum tam nomina latè
Non tantùm heſperijs, Gallorũ aut finibus amplis,
Theutoniaue locis florent, ſed fama remotis
Quos etiam Cimbris notos facit, at grauis æſtus
Dum nimium premit, & florentes Sirius agros
Vrenti torret flamma, tum docta Lycea

Claudunt, & feßis concedunt ocia Muſis.
Ergò alias vrbis partes & mœnia firma
Mox luſtrare animus ſuadet, prætoria primùm
Celſa ſubire placet, Romanæ vbi conditor ille
Liuius hiſtoriæ candenti è marmore buſtum
Et titulos meruit. Iuſtinæ hinc templa dicata,
Quæ collapſa nouis inſtaurant ſumtibus, vllis
Nec parcunt operis, ſanctorum hîc membra virorũ
Multa ſolo mandata putant, quod carmine tali
Dux Venetûm celebris Priolus mõſtrare laborat.
Iuſtinæ corpus Regali ſanguine cretæ,
Oſſaq́ꝫ cœlicolûm multos ſeruata per annos
Relligione patrum, ſacras ſunt ſparſa per aras
Templi huius, tractante Pio quarto aurea patris
Retia Clauigeri, Mutinenſi & præſide magno
Huius cœnobij peregrino clauſtra tenente,
Ac luſtrata noua pompa, quippe ordine longo
Et populo & clero & læto comitante Senatu,
Atqꝫ ipſo celebrante ſacrum vrbis preſule, quorum
Numine tartarij manes fugere per auras
Irati & certo firmauit poplite greſſum
Claudus, & altiſonas effudit pectore voces
Mutus, easq́ꝫ cauis ſurdus demum auribus hauſit,
Atqꝫ optata diu reſpexit lumina ſolis
Cæcus ouans, populi circum admirante corona.
Sed monumẽta hominũ ſplẽdẽtia carmine inepto
Quid celebrare iuuat? tua fama eſt nota per orbem
Fallopi, quis Longolij, quis nomina Bembi

Neſciat

Neſciat? externis quæ ſunt notiſſima in oris.
Illinc digreſſi ter remige ſindimus vndas
Quàm prius excelſas monſtrat Ferraria turres:
Hic mora nulla fuit. Sed poſtquam Phœbus ab alto,
Ter traxiſſet equos populoſa Bononia muros
Oſtentat validos, ſtudiorum iure parentis
Nomen habens. nam doctiloquis hæc ſemper abun-
Magnificiſq; viris quos iuſta tollere laude (dat
Nemo poteſt. Quis quæſo recens extructa Lycea
Fornicibuſq; ædes cultas cantare valebit?
Vltima prendebat feruentis brachia Cancri
Phœbus, nymbiferum cum ſcandimus Apenninum.
Dÿ ſuperi, celſum montis ſuperare cacumen
Quanta molis erat, nobis quàm pondus onuſtum.
Nam velut intrepidus, quem ſtringunt frena, cabal
Quando iugo primùm ſubmittit colla moleſto, (lus
Ille trahit ſolus remoranti in puluere currus,
Et putat illud onus robuſtis viribus impar,
Sed paulum progreſſus anhelat & aſpera demum
Ipſi quam iuga ſint laſſus ſentit, iuba flaua
Albenti cùm rore madet: ſic culmina montis
Exuperare leue eſt viſum, ſed ſudor apertum
Dum per corpus ÿt noſtrum, quàm dura Chymæra
Difficiliſq; fuit didici. ſed nulla labori
Sunt prædura acri, cùm contrà ardentius itur.
Hunc ergo emenſis tandem Florentia cœlum
Turribus attingens ſurgit, Regalia tecta
Coſme tua oſtentans, taceo nunc templa, Magiſtros

Et ſtudijs donata pijs ſplendentia tecta.
Bella quidem es, meritò Florentia bella vocaris,
Italiæ exigerem ſi vitæ tempus in oris,
Hetruſcis peterem ſolùm conſidere in aruis.
Ah quoties latam (ſed fruſtra) errando per vrbem,
Sciſcitor Hetruſco præſtans vbi Norbius antro
Mandatus fuerat, fuſo qui ſanguine magnum
Tinxerat Oceanum, pro Danis quando gerebat
Bella ſuis, Carolo hîc quinto dum militat, atq;
Inuictis animis portas pulſat, nociturum
Non fugiens telum, dubijs fortiſſimus armis
Fortiter occubuit, moriens ſibi nomen in illis
Immortale parans oris. Hîc Lucifer ortus
Dum peragit trinos, agimus. Dein mœnia celſa
Sena tua ingredimur primũ monumenta videntes
Alter quæ poſuit Cæſar Fridericus, amoris
Cùm non ficta daret ſigna amplexus Leonoram
Conſortem thalami, Luſitanis nuper ab oris
Quæ venit, comitum magna ſtipante caterua.
Deinde locum accedo Latijs Sapientia dictum
Qui Muſis viget ingenuis; ſed plura referre
Tempora nunc prohibent ſubitò labentia. Deinde
Itur Quirinum, & tumido ſub monte Viterbum
Turribus ornatum multis. Lux altera in vrbem
Deducit Romam, hîc lachrymas gemituſq; profun-
Siſtere non potui genitoris imagine motus, (dos
Quem puer amiſi, iuuenis nunc ploro ſepultum.
Ille etenim ſummas Leo dum moderatur habenas

Vrbis, in heſperijs peregrinus vixerat oris.
Româ igitur ſalue lati quondam caput orbis
Quæ ſola imperio Reges & regna regebas,
Quæ ſolo cunctas terrebas nomine gentes.
Ah tua quid proprijs eſt fracta potentia membris?
Aduerſis fueras felix, infauſta ſecundis.
Roma, inquam, ſalue, hîc paucis hærere diebus
Des veniam, indulge hoſpitio, ſit limen apertum.
Hæc vbi dicta, Petri vaſtam conſcendimus ædem
Viſuri molem ac opera interrupta minaſq;
Murorum magnas, ſed primum aurata videtur
Clauigeri nauis, ſplendenti in pariete picta,
Huc plures homines genibus concurrere flexis
Inq; aſtra elatis oculis procumbere cernes.
Progredimur paulum, ſtabat nux pinea ferro
Circumſepta ſuo, cupro eſt hæc fuſa micanti,
Templa ſubintrantes plures offendimus aras
Picturis cultas, ſed lignis concio facta
Poſt valuam rotulis impulſa citis latitabat.
Præterea hîc, veteri ſi fas eſt credere famæ,
Celſa columna ſuis ſtat circumducta feneſtris,
Quam perhibent raptam magni templo Salomonis
Cùm Titus Solymam gladijs excinderet vrbem.
Hac nitens populum dictis accedere ſueuit
Saluator, morbos nunc illa emendat acerbos,
Quinetiam miſerè vexatos dæmone ſanat,
Atq; die quouis miracula plura operatur.
Hinc Capitolinas non feſsi viſimus arces

Tarpeio quæ monte ſitæ. hîc poſuere Leoni
Pro meritis, ſtatuam candenti ex marmore ſculptã.
Hîc medijs effoſſa foris terraq́; ſepulta,
In dubio Roma caſu luctuq́; frequenti
Exterus antiqua dum ſæuit miles in vrbe,
Magnis Farneſij impenſis monumenta videntur.
Ante etiam templum non tactæ Virginis vrnas
Blondus habet. Parte ex alia ſplendentia quondam
Romanæ gentis, fora ſunt extructa operoſis
Sumtibus, aſt hodiè rudis indigeſtaq́; moles,
Nullum habet ornatum niſi priſcos arte triumphos
Arcubus inſculptos clara, digitisq́; tenellis
Artificiq́; manu factos. Septimius vnum
Victor de Parthis habet, alter Veſpaſiano
Erigitur Solymam cùm terræ æquauerat vrbem.
Inde Coliſeum non multis paſsibus altum
Conſurgit, ſed moles diſturbata minæq́;
Pendentes, aliàs quod dicitur Amphitheatrum
Et vicino aliud nomen traxiſſe coloſſo
Non dubium eſt. Quid de curuato fornice dicam
Conſtantine tibi erecto, cùm morte Tyranni
Dulcia Romanæ peperiſti gaudia genti?
Pretereo reliquos arcus ſtatuasq́; ſuperbas,
Quæ collapſa iacent aut igni ambuſta voraci.
Quid referam colles? quid munda palatia Papæ,
Quid thermas, hortos, fontes pariterq́; canales
Et Tyberis pontes, muros vel mœnia firma?
Nec memoro delubra dijs ſacrata, ſacella

Atq́;

Atq; alia in tanta quæ paſsim vidimus vrbe.
Ergo Roma vale, noſtri ſis meta laboris,
Plura aliàs tecum. mœſto nunc pectora edaces
Hei mihi quã lacerant curæ, quàm corda fatigant,
Ah medio quoties rumpunt mea carmina curſu
Conatusq; alios, mihi non eſt ſæuior hoſtis.
At tu Nate Dei preſſorum corda leuare
Qui potes, aſpicias miſeros, ſuccumbere tantis
Ne des aduerſis, ſit tandem meta malorum
Et finis, quò te celebret mea carmine Muſa.

FINIS.

D. AVSONII BVRDIGALENſis de claris Vrbibus liber.

DE ROMA, CONSTANTInopoli, & Carthagine.

PRima vrbes inter diuûm domus aurea Roma.
Conſtantinopoli aſſurgit Carthago priori,
Non toto ceſſura gradu: quia tertia dici
Faſtidit, non auſa locum ſperare ſecundum,
Qui fuit ambarum. vetus hanc opulentia præfert,
Hanc fortuna recens. fuit hæc, ſubit iſta, nouiſq;
Excellens meritis veterem perſtringit honorem,
Et Conſtantino concedere cogit Eliſam.
Accuſat Carthago Deos iam plena pudoris,
Nunc quoq; ſi cedat, Romam vix paſſa priorem.

Componat veſtros fortuna antiqua tumores:
Ite pares, tandem memores, quòd numine Diuûm
Anguſtas mutaſtis opes, & nomina: tu cùm
Byzantina Lygos, tu Punica Byrſa fuiſti.

DE ANTIOCHIA ET Alexandria.

TErtia, Phœbeæ lauri domus Antiocheia,
Vellet Alexandri ſe quarta colonia poni.
Ambarum locus vnus, & has furor ambitionis
In certamen agit: vitiorum turbida vulgo
Vtraq;, & amentis populi malè ſana tumultu.
Hæc Nilo munita quòd eſt, penituſq; repoſtis
Inſinuata locis, facunda, ſituq; ſuperbit:
Illa quòd inſidis opponitur æmula Perſis.
Et vos ite pares, Macedûmq; attollite nomen.
Magnus Alexander te condidit: illa Seleucum
Nuncupat. ingenitus næuus fuit ancora ſignum:
Qualis inuſta ſolet generis nota certa. per omnem
Nam ſobolis ſeriem natiua cucurrit imago.

DE TREVERIS.

ARmipotens dudum celebrari Gallia geſtis,
Treuericaq; vrbis ſolium: quæ proxima Rheno,
Pacis vt in mediæ gremio ſecura quieſcit,
Imperij vires quòd alit, quòd veſtit & armat.

Lataper extentum procurrunt mœnia collem.
Largus tranquillo prælabitur amne Moſella,
Longinqua omnigenæ vectans commercia terræ.

DE MEDIOLANO.

ET Mediolani mira omnia, copia rerum,
Innumeræ cultæq́ domus, facunda virorum
Ingenia, antiqui mores: tum duplice muro
Amplificata loci ſpecies, populiq́ voluptas
Circus, & incluſi moles cuneata theatri:
Templa, Palatinæq́ arces, opulensq́ moneta,
Et regio Herculei celebris ſub honore lauacri,
Cunctaq́ marmoreis ornata periſtyla ſignis.
Mœniaq́ in valli formam circumdata limbo.
Omnia quæ magnis operum velut æmula formis
Excellunt, nec iuncta premit vicinia Romæ.

DE CAPVA.

NEc Capuam pelago, cultuq́ penuq́ potentem,
Delicijs, opibus, famaq́ priore ſilebo.
Fortuna variante vices, quæ freta ſecundis
Neſciuit ſeruare modum. nunc ſubdita Romæ,
Aemula nunc. fidei memor, an infida ſenatum
Sperneret, an coleret dubitans, ſperare curules
Campanis auſa auſpicijs, vnoq́ ſuorum
Conſule, vt imperium diuiſi attolleret orbis.

Quin etiam rerum dominam, Latijq́; parentem
Appetijt bello Ducibus non freta togatis,
Hannibalis iurata armis, deceptaq́; in hoſtis
Seruitium demens ſpecie tranſiuit herili.
Mox vt in occaſum vitijs communibus acti.
Corruerent Pœni luxu, Campania faſtu.
Heu, nunquam ſtabilem ſortita ſuperbia ſedem.
Illa potens, opibusq́; valens, Roma altera quondam
Comere quæ paribus potuit faſtigia conis,
Octauum reiecta locum vix ponè tuetur.

DE AQVILEIA.

NOn erat iſte locus, merito tamen aucta recẽti
Nona inter claras Aquileia cieberis vrbeis.
Itala ad Illyricos obiecta colonia monteis,
Mœnibus & portu celeberrima: ſed magis illud
Eminet, extremo quòd te ſub tempore legit,
Solueret exacto cui iuſta piacula bello
Maximus armigeri quondam ſub nomine Lixæ
Felix, quæ tanti ſpectatrix læta triumphi
Puniſti Auſonio Rutupinum Marte latronem.

DE ARELATE.

PAnde duplex Arelate tuos blanda hoſpita portus,
Gallula Roma Arelas: quam Narbo Martius, & quam

Acco-

Accolit Alpinis opulenta Vienna colonis,
Præcipitis Rhodani ſic interciſa fluentis.
Vt mediam facias nauali ponte plateam,
Per quem Romani commercia ſuſcipis orbis,
Nec cohibes: populosq́ alios & mœnia ditas:
Gallia queis fruitur, gremioq́ Aquitania lato.

DE EMERITA.

IVre mihi poſt has memorabere nomen Iberum
Emerita, æquoreus quam præterlabitur amnis:
Summittit cui tota ſuos Hiſpania faſceis.
Corduba non; non arce potens tibi Tarraco certant
Quæq́ ſinu pelagi iactat ſe Bracara diues.

DE ATHENIS.

NVnc et terrigenis patribus memoremus Athenas
Pallados et Conſi quondam certaminis arcẽ:
Paciferæ primum cui contigit arbor oliuæ:
Attica facundæ cuius mera gloria linguæ:
Vnde per Ioniæ populos, & nomen Achæum,
Verſa Graia manus centum ſe effudit in orbes.

DE CATINA ET Syracuſis.

QVis Catinam ſileat? quis quadruplices Syracuſas?
Hanc ambuſtorum fratrum pietate celebrem,

Illam complexam miracula fontis, & amnis:
Qua maris Ionij ſubter vada ſalſa meantes,
Conſociant dulces placita ſibi ſede liquores,
Incorruptarum miſcentes oſcula aquarum.

DE TOLOSA.

NOn vnquā altricem noſtri reticebo Toloſam,
Coctilibus muris quā circuit ambitus ingens,
Perq; latus pulcro prolabitur amne Garumna,
Innumeris cultam populis, confinia propter
Ninguida Pyrenes, & pinea Gebennarum,
Inter Aquitanas gentes & nomen Iberum.
Quæ modò quadruplices ex ſe cùm effuderit vrbes,
Non vlla exhauſtæ ſentit diſpendia plebis,
Quos genuit cunctos gremio complexa colonos.

DE NARBONE.

NEc tu Martie Narbo ſilebere, nomine cuius
Fuſa per immenſum quondam prouincia re-
Obtinuit multos dominandi iure colonos: (gnū
Inſinuant qua ſe Sequanis Allobroges oris,
Excluduntq; Italos Alpina cacumina fines:
Qua Pyreneis niuibus dirimuntur Iberi,
Qua rapitur præceps Rhodanus genitore Lemanno,
Interiusq; premunt Aquitanica rura Gebennæ:
Vſq; in Teutoſagos primæuo nomine Belgas,
Totum Narbo fuit. tu Gallia prima togati

Nomi-

Nominis attollis Latio Proconſule faſces.
Quis memoret portusq́; tuos, montesq́;, lacusq́;.
Quis populos vario diſcrimine veſtis & oris?
Quodq́; tibi quondam vario de marmore templum
Tantæ molis erat, quantam non ſperneret olim
Tarquinius Catulusq́;: iterum poſtremus & ille
Aurea qui ſtatuit Capitoli culmina Cæſar.
Te maris Eoi merces, & Iberica ditant
Aequora: te claſſes Libyci, Siculiq́; profundi,
Et quidquid vario per flumina, per freta curſu
Aduehitur, toto tibi nauigat orbe κατάπλους

DE BVRDIGALA EX QVA fuit Auſonius.

IMpia iam dudum condemno ſilentia, quod te
O patria, inſignem Baccho fluuiiſq́; viriſq́;,
Moribus, ingeniiſq́; hominum, procerúmq́; ſenatu,
Non inter primas memorem: quaſi conſcius vrbis
Exiguæ, immeritas dubitem contingere laudes.
Nō pudor hinc nobis, nec enim mihi Barbara Rheni
Ora, nec Arctoo domus eſt glacialis in Hæmo.
Burdigala eſt natale ſolum, clementia cæli
Mitis, vbi & riguæ larga indulgentia terræ:
Ver longum, brumæq́; breues, iuga frondea ſubſunt.
Aeſtifluiq́; amnes, quorum iuga vitea ſubter,
Feruent æquoreos imitata fluenta meatus.
Quadrua murorum ſpecies, ſic turribus altis
Ardua, vt aëreas intrent faſtigia nubes.

Diſtin-

Diſtinctu interiore vias mirere domorum,
Diſpoſitu latas nomen ſeruare plateas,
Tum reſpondenteis directa in compita portas,
Per mediumq; vrbis fontani fluminis alueum:
Quem pater Oceanus refluo cum impleuerit æſtu,
Allabi totum ſpectabis claſſibus æquor.
Quid memorem Pario contectũ marmore fontem
Euripi feruere freto? quanta vnda profundi?
Quantus in amne tumor? quanto ruit agmine præ-
Marginis extenti bis ſena per oſtia curſu, (ceps
Innumeros populi non vnquam exhauſtus ad vſus?
Hunc cuperes Rex Mede tuis coniungere caſtris,
Flumina conſumto cùm defecere meatu,
Huius fontis aquas peregrinas ferre per vrbeis,
Vnum per cunctas ſolitus portare Choaſpem.
Salue fons ignote ortu, ſacer, alme, perennis,
Vitree, glauce, profunde, ſonore, illimis, opace.
Salue vrbis Genius medico potabilis hauſtu
Diuona, Celtarum lingua fons addite Diuis.
Non Aponus potu, vitrea non luce Nemauſus
Purior: æquoreo non plenior amne Timauus.
Hic labor extremus celebres collegerit vrbeis.
Vtq; caput numeri Roma inclyta: ſic capite iſto
Burdigala ancipiti confirmet vertice ſedem.
Hæc patria eſt: patrias ſed Roma ſuperuenit omneis
Diligo Burdigalam: Romam colo ciuis in illa,
Conſul in ambabus. cunæ heic, ibi ſella curulis.

IVL. CAESARIS SCALIGERI VRBES.

AD DIVAM CONSTANTIAM RANGONIAM.

O QVAM te memorem? totis quæ viribus vſa
  Natura, Cæli maxima vincis opes.
Nam nec nox, nec mens hominē ſonat O Dea certè,
  O Dea, vel ſi qua ſunt potiora Deis.
Excipe cæleſti tibi debita munera nutu,
  Quem Fortuna ſacro numine victa timet.
Hic iterum per me natas miraberis Vrbes:
  In quibus & retines Principis ipſa locum.
Stemmata dum Fratris, dum Stemmata dia Ma-
  Inſtituis magnos inter habere Deos. (riti
Hinc Mutina, hinc Genua, hinc claris Verona Triũ
  Inuidia incendunt ſæcula tota ſui. (phis.
Quam fato maiore viget, potiore Parente
  Iuſſibus exultat turba renata tuis.
Diſperiere aliquæ: vix nomina ſola ſuperſunt:
  Nullaq; quæ non ſit interitura, manet.
Auſpicijs renouata tuis tamen, auctaq; factum eſt
  Per te, ne poſſit amplius vlla mori.

ROMA.

Vos ſeptemgemini cæleſtia pignora montes,
  Vosq; triumphali mœnia ſtructa manu,

Teſtor, adeſte, audite ſacri commercia cantus:
Et Latios animos in mea vota date.
Vobis, dicturus meritis illuſtribus Vrbes,
Has ego primitias, primaq; ſacra fero.
Quin te vnam laudans, omnes comprenderit. or-
Non vrbem, qui te nouerit, ille canet. (bem,

VERONA.

Italiæ canimus ſemper florentis ocellum:
Calliope nequeat grandius vlla loqui.
Aucta Deis, auctura Poli Verona Quirites:
Quot ciues, tot habens Sidera digna Ioue.
Non animi, non ingenij vigor acrior vſquam.
Nulla creat plures Martia terra Duces.
Transferre in Cælum voluit ſibi Iuppiter. Atqui
Clarior in noſtris maluit eſſe locis.

LVTETIA.

Francigenæ princeps populoſa Lutetia Gentis
Exerit immenſum clara ſub aſtra caput.
Hîc Ciuis numerum, Ars precium, Sapientia finem,
Exuperant: ſuperant thura, preceſq; Deos.
Audijt, obſtupuitq; hoſpes: factuſq; Viator
Vidit: & haud oculis credidit ipſe ſuis.
Europæ impoſita hæc, Aſiæq; obiecta potenti:
Limes vtriq; olim, nunc vtriuſq; caput.
Translato imperio, pariter Fortuna receſſit:
Creuit & auſpicijs maxima facta nouis.

Auxit,

Auxit, qui rapuit: ſed nunc ceruicibus orbis
Imminet. Ipſa etiam Roma ſuperba tremit.
Non vetus illa: nouo meretrix ſed perdita luxu:
Quæ nullum crimen, nolle pudere, putat.
Surge ferox, quate, cade: tua eſt victoria. tantum
Miſce armis leges. accipe, daq́; iugum.

VENETIAE.

Peruia barbaricis tellus Oenotria turmis
Pertulit impoſiti pondera dira iugi.
Ipſa ſuos fleuit populares Roma Quirites:
Senſit & indomitæ noxia tela manus.
Haud tulit hoc Genius: cuius fatalibus auſis
Tutior in medio Roma renata mari eſt.
Clara virûm Virtus animo: inſatiata cupido
Imperij: vaſtæ non numerantur opes.
Iuppiter, haud temerè tua ſunt ita diſſita Cæli
Mœnia. ſi poſſunt tangere: parte cares.

MEDIOLANVM.

Compoſitos populos, validiq́; exordia Regni
Excepit facili terra beata ſinu.
Creuerat Auſonio conuictus ſanguine Gallus:
Et dabat antiquo fortia iura Pado.
Tertia ſe adiunxit tantis Germania rebus:
Et ſtetit audaci fama parata manu.
Quæuis ſimplicibus iactet ſe gloria ſignis:
Cum triplex vni contigit aucta mihi.

PATAVIVM.

Huc antiqua Deûm domus Ilium, & inclyta bello
Robora, Dardanios expoſuere Lares.
Decepti patrias, non victi, amiſimus oras.
Perpetuis res eſt Græca valere dolis,
Qui vicere, ſuos ideò amiſere Penates:
Aſt noua ſunt profugis Regna parata viris.
Arma decent Teucros, vafros ſapientia Graios:
Victis Euganeis pectus vtrumq; dedi.
Regna vides Veneto Phrygijs maiora ruinis:
Atticaq; à Patauo pectore terra ſapit.

GENVA.

Ditis opes Aſiæ, & claros Orientis honores,
Quantaq; ab Euxino tunditur ora ſalo,
Piſanas acies, Thuſcæ decora inclyta pubis,
Et traxi ad Ligures Gallica ſigna manus.
Subiectis domitas tenui ceruicibus Alpes:
Et tremuit noſtras Africa dura trabes.
Afflictus toties Venetus, quæ fugerat olim,
In patrijs metuit tela petitus aquis.
Fruſtra Galle cupis: fruſtra es fruſtrator Hibere
Fruſtra ſæua ferox Inſuber arma capis.
Vinco ego, cum vincor. par eſt victoria damno:
Sumq; eadem Domina, ſeruaq; facta mea.

FERRARIA.

Inclyta quæ patulo fruitur Ferraria Cælo
Reginas rerum lumine ditat aquas.

Aurea

Aurea nobilitas:ſtudiorum nobilis otij ,
Ingenia:audaci pectore prompta manus:
Magnanimiq́ duces,genus alto à ſanguine Diuûm:
Perfugium profugis mœnia ſancta viris.
Vos me luctificæ redeuntem è ſtragis aceruis.
Quos vetus ex ima ſede Rauenna gemit,
Germano in pugna amiſſo,fortíque parente:
Quo matri victa vita dolore fugit,
Ornatum elogijs,decoratum nomine Regum,
Auctum Felſinea reſtituiſtis ope.
Saluete Heroës,& quæ ſanctiſsima tellus,
Frátriſque,ac matris,& patris oſſa tegis.

ANGOLISMA.

Armipotens rerum præſes Valeſia tellus
Addidit antiquis iam noua iura focis:
Cùm dedit inuictos terrarum lumina Reges
Quo leuius gaudens pondere preſſa volat.
Quàm te igitur memorē?neq́ enim terrā eſſe fate-(bor,
Sed cœlum:quæ ſic fundis,habesq́ deos.

TVNETVM.

Inuide demolire altas Carthaginis arces:
Quem ſors æqualis,párſque futura manet.
En te inuito iterum florens, exciſa renaſcor.
Te non vinco ego:nec me tamen ipſa premis.

BRVNDVSIVM.

Vt populos ad ſeipſa vocet,procurrit in altum,
Et ſecat æquoreas Auſonis ora vias.

Hinc ſolis proſpectat equos orientis anhelos:
Hinc petit indigenis Africa terra notis.
Illyricas oſtentat opes, animosq́ ſuperbos:
Horrificis Boreas qua furit altus equis.
Quo molles natura ſinus dedit alma vocanti:
Hoſpes vt optata ſic poteretur humo.
At non Brunduſium præcinctum præpete portu
Aequat inoffenſis vlla carina vadis.
Iam liceat reliquis peregrinas condere puppes:
Italiæ at ſtatio vera ſit vna ſuæ.

BRIXIA.

Quæ pingues ſcatebras ſpecula deſpectat ab alta,
Poſtulat imperij Brixia magna vices.
Cœlum hilarũ, frons læta vrbi, gens neſcia fraudis.
Atq́ modum ignorat diuitis vber agri.
Si regeret patrias animis concordibus oras:
Tunc poterat dominis ipſa iubere ſuis.

AQVILEIA.

Diua, parens terræ, forteis quæ proſpicit Hiſtros:
Nobilis Italiæ ianua prima tuæ:
Barbarici miſera incurſus obiecta furori,
Triſtis inhumana facta ruina manu es.
Inclyta pro Heſperijs ſed cum cadis hoſtia terris:
Non poteras melius, viuere tota volens.

RHODOS.

Clara Rhodos, ſed clara olim: nunc horrida nimbis
Obnubit nitidum dira procella caput.
Ah dolor, ah mors, ah ſi quid morte atq́ dolore
Durius, aut etiam tetrius eſſe poteſt. Ster-

Stertitis? & ferus armenti lupus optima carpit?
O iam ſit iam aliquis velle perire pudor.

RAGVSIA.

Quàm fera, quamq́ inculta vides hæc ſaxa viator:
Tam ſunt ingenijs pectora culta meis.
Munia multa ſenum complet cordata iuuentus:
Et viridis iuuenum multa ſenectus obit.
Quod tetricæ rupi natura nouerca negauit:
Hoc eadem natum Mater habere dedit.
Ciuem alibi diuina ſuæ prudentia terræ
Exhibuit: terram hîc ciuibus illa ſuis.

VOLSINIVM.

Hetruſci imperij priſcum caput, aurea ſedes,
Magna vna atq; eadem perdita mole ruit.
Fecit opes virtus: opulentam euexit ad aſtra:
Aſt opibus tumidus luxus ad ima ruit.
Obfuit alta quies, ſeruoq́; obiecit inerti.
Eneruant rigidas otia lenta manus.
Quos amat, his iuſto condit Deus acta labore.
Sic mala dura iuuant: ſic bona blanda nocent.

ROTOMAGVS.

Tranquillæ ſpecies, & imago plurima vitæ.
Sola, aut cum paucis Neuſtria diues eris.
Illecebræ omne genus fundit tibi blanda voluptas.
Quæ deſunt, orbis nec ſibi totus habet.
Gens numeroſa, ferox, Arctoi limina mundi
Mutauit terris vberioris agri.

Expulit affines belli diſcrimine Francos:
Ceſsit & inuictis terra Britanna viris.
Ignoti Oceani domina es: neq; Gallia magnum
Te ſine, Regina nomen habere poteſt.

ALTINVM VENETIAS
alloquitur.

Quanta fui, cuius modico veſtigia tractu
Obruit inſani fœda ruina maris.
Sedibus egregiæ doceant illuſtribus Vrbes,
Oppidaq; elapſa condita multa manu.
Aſpice, quo faſtu tumeat Tauriſia pubes.
Vna mei germen ſtipitis illa fuit.
Muranum incolumi cœlo, atq; inſontibus auris:
Et quod maiori nomen ab orbe tulit.
Quæq; etiam cœli dicta eſt de nomine Turris:
Cuncta hæc interitus ſunt monumenta mei.
Tu quoq; mirifici complens miracula mundi,
Te Regina vagi te voco magna ſoli.
Diſce frui virtute tua, & felicibus orſis
Pars mea: nam totum quàm ſit inane, vides.

TROIA.

Bis vetus euerſum eſt Argiuis Ilion armis:
Bis noua victores Græcia luget auos.
Maxima Troianos retulit cùm Roma nepotes:
Atq; iterũ, imperium cùm modò Turcus habet.

LIPSIA.

Lipſia ſe oſtentans ſublimibus aurea tectis
Lumina dum ſaturat, mens perit icta fame.

Ve-

Vecta quibus ratibus longinqua marmora terra?
Vnde frequens flaui pura nitela Tagi?
Huc Cyprũ, huc Temeſum, huc Arabas, huc Serica, dices
Sedibus euulſa huc Indica Regna ſuis.
Cùm gemma bibitur, vincuntur nectare gemmæ:
Sed lingua varius vincit vtrunq; nitor.
Nec Germana tamen vitiatur Lipſia luxu:
Aſt hunc Germanum Lipſia magna facit.

CYMACLVM.

Cærula piſcoſi quæ complent ſtagna Cymacli
Nais ab Adriacis æſtibus auget aquas.
Squammiger Eois labens exercitus vndis
Ludit, & in refluis agmina iuſta vadis.
Turgeat, & laxis Neptunus gaudeat oris.
Tuta mihi anguſto, certáque præda gyro eſt.

AVINIO.

Viuendi ratio cum libertate recepta
Efficiunt, vt ſis altera Roma tibi.
Templa, forum, celſo ſubducta Palatia cœlo:
Magna hæc. te, plus eſt, dicere poſſe tuum.

TAVRINVM.

Excipiens gelidas patrijs ex Alpibus auras
Heſperij princeps vis capit vna ſoli.
Terra ferax, gens læta, hilaris addicta choreis:
Nil curans quicquid craſtina Luna vehat.
Ingenium natura aptum, ſed more ſolutum:
Plus animo capiens, quàm dare poſſit ope.

Felix Marte nouo, felix melioribus armis.
Nanq; recens acuet pectora lenta metus.

MASSILIA.

Inclyta Romanis æquata Palatia rebus,
Tam modicis miſerum eſt delituiſſe caſis.
Ah vbi compoſiti mores. ſapiensq; ſenatus?
Obruta ſic veteri mens ſine mente iaces.
In tenui victu tenuis quoq; gloria. ſordes
Plusquam Græca: humile eſt, et ſine more genus.
Diuinas petiere tuas Gens extera leges:
Hoc verum dare ſit, nec retinere ſibi.

PISAE.

Piſa vetus, victi ſpolijs Orientis onuſta
Inuidiæ armaui liuida tela trucis.
Sic nocuit viciſſe. alijs ſic vicimus ergo.
Sic res eſt humili tutior arcta loco.
Mortales, ſperate vices. nec credite fatis.
Nam quod nos alijs, illa dedere mihi.

AVRELIA.

Non potuit magni caput eſſe Aurelia regni:
Ergò quod reliquum eſt, corq; animusq; fuit.
Dat Bellona manum, facundam curia linguam.
Ars potuit nullis vlla latere modis.
Tam come ingenium, tanta eſt prudentia rerum:
Hæc quod non nouit, Gallia muta ſilet.
Ipſe pater choreas agitans in vertice Nyſæ
Olim aut hinc, aut huc munera læta tulit.

Nil

Nil humile, aut vulgare ſonat: magna omnia. ma-
Quin animũ vulgus principis ipſe gerit. (gni
Quæ tibi non ceſsit, toti non ceſſerit orbi.
Cedere nec debes tu niſi ſola tibi.

RAVENNA.

Prima per Aemathias quondam vetus edita ſylvas
Adriacum ſecuit Theſſala prora ſinum:
Deſertumq́; ſolum, triſtiq́; informe palude
Munijt: atq; vrbis nomen habere dedit.
Hæc belli ſedes, gelido cùm miles ab axe
Proruit, & Graios expulit inde Duces.
Hinc ſedet Illyrici proſpectans prælia Nerei:
Ionius reduci cùm tumet æſtus aqua.
Hinc oculus ſuperiq́; maris, terræq; iacentis
Excubat: hinc duris vtraq; meta viris.
Si iungas ſolida liquentia marmora terra:
In medio tanquam cor, metuenda iacet.

LONDINVM.

Vrbs animis, numeroq́; potens, & robore gentis,
Vel cunctos præ ſe deſpicit vna deos.
Torua peregrinis, ſed non & inhoſpita, merces
Vicinis patrias aggerit, atq; petit.
Contemnis, cui das, tanquam iſto munere maior.
Odiſti vnde petis: ne videare minor.
Dicat, quid bello valeas, Aquitania. quid non:
Et Nortman, & cum Saxone Roma vetus.

BONONIA.

Poſt diras rerum clades, fatíque ſuperba
Imperia, & Martis quæ fera iuſſa tuli,
Hîc primùm méque, atq; alios cognoſcere cœpi:
Depoſuíque animi barbara ſceptra mali.
Et didici, quam non fueram, quam deinde futurus:
Quem bona abortiuum ſic tuerere parens.
Quæ cauſſas, quæ cunctarum primordia rerum,
Quæ diuini operis prima elementa doces.
Cœleſtéſque plagas, & ſanctæ commoda vitæ,
Et ſi qua è numeris nata figura latet.
Cùm reliquas ſuperes diuinis legibus vrbes:
Non ſulci omnigeno germine cedit honos.
Arma viris connata: animus conterminus aſtris:
Atq; ardens vitæ ſtat melioris amor.
Si ciues dederas, ſi magna Hetruria leges:
Accipe, quæ poſſis diſcere: reddo libens.

MEMPHIS.

Penè etiam ad nigram Memphis porrecta Syenen,
Penè etiam Nilo longior ipſa meo,
Inueni tamen extremo ſub margine finem:
Sic ſperare animo, & te decet eſſe tuo.
Africa cur poſita eſt vobis pars tertia mundi?
Tertia quando orbis pars ego ſola forem.

LVCA.

Thuſci delitium, Thuſci laus inclyta cœli,
Iuſtitiæ illæſo robore Luca potens,

Lu-

Luca potens opibus, felix concordibus armis,
Cui veneranda fides, mens pia, pura manus.
Cœleſtis vegetum comitatur candor acumen,
Ad veteres referens candor acumen Auos.
Iratis igitur dum ſeruit Hetruria fatis:
Virtutis merito libera ſola fuit.

ADRIA.

Olim ingens decus Heſperiæ, lux addita terræ,
Eridani cuius proluit vnda pedes.
Nunc vix nomen habet, lethóque informe cadauer,
Et famulis ſordens Adria putret aquis.
Translatum eſt aliò imperium, titulíque vetuſti
Eccè, nouos ditat priſca ruina lares.
Dira tamen fruſtra faciat fortuna ſuperbos.
Diſcite, quàm valeant ſceptra manere diu.
Nunc agitur melius mea res: ſecura timoris
Cùm vigeo, ſortis lege ſoluta meæ.

BEROIC.

Si cui ſimplicitas, & priſca ſecula vitæ,
Sors ſine diſſidijs, mens ſine fraude placet:
Ne Scotiæ dextras, hirſutáque pectora ſpernat.
Haud benè iunguntur, luxus, & arma ſimul.
Nimbiferósque Ioues & iniquas vicimus auras:
Corporaq; horrendis ſunt potiora malis.
Iacta Aegypte ſolum, potius ſit ſortis iniquæ:
Sollicita vita ducere ab arte dies.

MANTVA.

Maxima cum veteri turgeret Hetruria regno:
Sceptraq́; terrarum iungeret aucta mari.
Mole noua tumuit, ſolijsq́; excreuit auitis.
Vt premeret forti iura aliena pede.
Inde eſt in ſuperas deducta Colonia terras:
Non tamen his potuit Mantua tota dari.
Clara viris, felix ducibus, diuo inclyta Cycno:
Quem vitreis aluit Mincias Andis aquis:
Mantua diues auis, magno non ceſſerit orbi.
Tota tamen parte hac vincitur ipſa ſui.

LVGDVNVM.

Fulmineis Rodanus qua ſe fugat incitus vndis:
Quaq; pigro dubitat flumine mitis Arar,
Lugdunum iacet, antiquo nouus orbis in orbe:
Lugdunúmue vetus orbis in orbe nouo.
Quod nolis, alibi quæras: hîc quære, quod optas.
Aut hîc, aut nuſquam vincere vota potes.

LAVRETVM.

Quæ quondam Illyricis ſteterat domus auia ſyluis,
E Solymis fuit hæc ſancta reuulſa iugis.
Ergò quæ Ionij ſuperauerat æquora tractus,
Adriaci ſecuit æquoris alta vias.
Illa orbis dominum gremio quæ cœperat antè:
Non orbis capiat totius vna preces?
Non mare nauta ferum, non ſaltus feſſe viator,
Non Martis metuas horride miles iter.

Aude

Aude etiam peccator, opes tibi poſcere cœli:
E nati vultu virgo ſequeſtra dabit.
Sancta parens: tecum ille tuas communicat Aras.
Nam tibi quæ dederat omnia totus, habes.
O ſalue exilij virgo ſpes vnica noſtri:
Et patriæ ciuem ſac pia Diua tuæ.

NICAEA.

Se negat Italiæ ſobolem Nicæa parentis.
Si non eſſe volunt: nec meruere capi.

ANCON.

Deuictrix pelagi tutis anfractibus Ancon
Oſtentat placidi commoda rara ſinus.
Nimirum dea, quæ voluit capere vrbis honores:
Lenia ſic voluit reddere ſceptra maris.

CANDIA.

Centum olim cinctas operoſis mœnibus vrbes
Reddidit ad paucas imperioſa dies.
Oppida parua tamen reor illa fuiſſe: ſed aucta,
Quod deeſt ex reliquis, Candia ſola refert.
Vera equidem fateor Iouis incunabula magni.
Nam liquor haud alibi Nectaris ille venit.

FLORENTIA.

Parua fluentiſonis aggeſta Fluentia ripis
Mollia de nitido nomina Flore capit.
Fæſula regnabat: verùm meliora ſequutus
Martius antiquas detulit amnis opes.
Diuitias Hera: Mercurius diſcrimina linguæ,
Mercurius varias ire, redire vias:

Am-

Ambitioſa ferox, bellacia, flammea, Mauors
Pectora: magnificam docta Minerua manum:
Iuppiter oſtendit cœleſtes mentibus aulas:
Sirenum tribuit dulcis Apollo ſonum.
Vera vetus Romæ ſoboles, aliena requiris:
Mutua quæ proprias vertis ad arma manus?

BVDA.

Threïcijs iaculis, ſæuisq́, obiecta Sariſſis,
Virtutis Scythicæ lima vetuſta fuit.
Nunc miſera, & miſeræ extremis exterrita fatis,
Olim ab ſe victis ſordida præda iacet.
Diſcite, quid faciat diſcordia pectora, Reges.
Semper ſic odijs diſsita regna ruunt.

NEAPOLIS.

Parthenope varij ſtatuit diſcrimina mundi:
Quæ tria diuerſo tempore ſecla dedit.
Aurea Pythagoras communis commoda vitæ,
Et docuit Sophiæ Græcia magna procos.
Altera ſuccedens ſtudiorum mollior ætas
Admiſit Muſas debiliore ſono.
Tertia vulnifici quæſiuit præmia ferri:
Atq, equitum potuit ſola tenere decus.
Sic ex priuata, & ſerua, Regina ſuperſum.
Roma, quod es, fueră: quæ modò ſum, quod eras.

CALICVT.

Non ſatis hec fuerit: noto quod perdita Nereo
Hærebat dubijs tunſa carina vadis?

Pro-

Protinus audaces incognita littora puppes,
Inſtituuntq́; nouas mortis adire vias.
Sontis tanta ſitis ſeſe tibi colligit auri:
Fatali vt citius morte perire iuuet?
Hîc dices animi magni te nomine dignum?
At non eſt, animum perdere, idemq́; frui.

CAPVA.

Flammea ſi valeat ſuperare ſuperbia faſtum,
Pinguem luxuriam delitioſus amor:
Hoc mollem pinges Capuam, Capuaq́; colonos:
Et quæ alijs viſa eſt, nec ſibi meta fuit.

BVRDEGALA.

Oceani timidas furioſo percita Cauro
Expugnat rapidis fluctibus ira trabes:
Perſequiturq́; ferox fugientem ad littora puppim,
Quæ tumidus refluo fronte Garumna premit.
Verùm vbi compoſitũ populum, ſanctumq́; ſenatũ
Cernit, adorato littore fracta iacet.
Qualem hoſpes dicas populum; qualemq́; ſenatum?
Queis etiam viſis æquora muta ſilent.

SENA.

Cùm premere inuictis vicinas viribus Vrbes
Martius imperij ſollicitaret amor:
Abſtinui: & iuſtam colui ſub pace quietem:
Summaq́; iudicij maxima, nolle, fuit.
Quot nam oblita ſui, quæ Regna aliena petebant?
Vt mea ſim: pro me ſit potuiſſe ſatis.

ANT-

ANTVERPIA.

Oppida quot ſpectant oculo me torua ſiniſtro:
Tot nos inuidiæ pallida tela petunt.
Lugdunum omnigenum eſt: operoſa Lutetia: Roma
Ingens: res Venetum vaſta: Toloſa potens.
Omnimodæ merces, artes priſcaq; nouaq;,
Quorum inſunt alijs ſingula, cuncta mihi.

BABYLON.

Heu nuſquam aſpicio rerum miracula turres.
Mortali pereunt omnia facta manu.
Cui momenta poli, & tempus dominatur inane:
Nec rem, nec numerum reddere poſſe reor.
Ah miſeram: quæ ſic poteras periiſſe. nec eſſe:
Nec tunc, cùm poteras eſſe, fuiſſe puto.

PODIVM GABALORVM.

Hic quoq; te rerum veneror pulcherrima virgo:
Quanquam ô, quid ſolo te numerare loco?
Hinc me nimboſæ miracula rara Pyrenes,
Hinc Aruerna abs te me trahit orta ſalus.
Et toto incluſa es, toto & diſcluderis orbe:
Nam regis hunc tu, nec te tamen ipſe capit.

TRIDENTVM.

Nobilis Italico quæ prima vrbs imminet orbi,
Auſonijs miſcet Norica verba ſonis.
Romanum ingenium eſt, animus Germanus, acerba
Vltio ſi obducta eſt nube ſerena fides.
Accipere à Veneto, cuius pars, milite leges,
Hæc potuit: ſi non & valet ipſa dare.

HEIDELBERG.

Nobilis imperio Franconia dextra potenti
Belligero nulli Marte ſecunda viget.
Cum victis ab ſe pepulit vectigal Alanis,
Libera Germano nomine Franca fuit.
Nec contenta ſuis anguſtis finibus (illi
Quæ par virtuti terra futura foret?)
Egreditur: ſuperat. Germani ô pectus honoris.
Victoris victos nomina ferre ſat eſt.
Non aliunde venis: Francúsue eſt Hectoris vllus.
Quid petis à victo ſtemmata? tota tua es.

GAIACIA.

Quattuor ancipitis celebrantur ſecula mundi:
Hæc: aurum, argentum, æs: ferrea quarta fuit.
Quattuor exceſſere ſimul: Nam lignea quinta eſt.
Nanq; vides ligno ſecla renata meo.

TVRONIVM.

Splendidior nuſquam Gallis opulentia Regnis:
Et nuſquam noſtro maior in orbe nitor.
Non æſtus nocuit pecori, non frigora pomis.
Nec iam hortis certet Græcia fœta ſuis:
Nunc etiam Phrygiæq; nurus, arteſq; Latinæ,
Atq; petunt radios Serica regna meos.
Aut ergò hîc etiam Elyſij ſunt munera cœli:
Aut nullum vidit Græcia vana ſuum.

TICINVM.

Qua citus Eridani ditat Ticinus arenas,
Gratus honoratas hoſpitis hoſpes aquas;

Lux ſtudiorum ingens: Regum pulcherrima ſedes
Signat inexhauſti iugera plena ſoli.
Deuicta Italia, reliquis voluere relictis
Magnanimi hac potius parte ſedere Duces.
Pace tua, heſperia alma parēs, hac dixero: quãta es?
Quantáue ſum? totum es: pars tamē vna placet.

NVGAMEN.

Nomina non ponam. tua nomina ponere, nil eſt,
Nam quia nil es: ſunt nomina nulla tua.
Liuor edax, fœnus, fraudes, diſcordia, lites:
Barbaricis mendax perdita lingua probris.
Natio mendax, mendax natio, natio mendax:
Quo terra, & cœlo tetrius eſſe nequit.
Segnis, iners, ſpurca ſub paupertate ſuperba:
Sordenti fatuus luxus auaritia.
Templa vorans attenta ſuperſtitione, ſed extra
Pupille, & vidua, & tu peregrine caue.
Triſte pecus, pigri ventres, mens ſubdola. victa
Fracta es: victricem non ferat ipſe Deus.
Iactabunda: ſed in hoc eſt iactatio: talus,
Inſidiæ, diræ, iurgia, damna, neces.
Perfidioſa, exlex, fera, ceruicoſa, maligna:
Cum vino, & vini turbine cæca Venus.
Venalis pudor: at teſti, ſe vendere, ludus:
Qui ne quam faciat, laude ſuperbius aget.
Furtis ingenium deeſt, deeſt vis iuſta rapinis:
Sacrilegam tamen hoc ditat vtrunq; manum.

De

De magna dictum eſt olim Carthagine, quod te
De minima. de te velle ſilere, pium eſt.

SEGVSIA.

Nequicquam indomito vallata Seguſia muro
Auſonijs aditum dat tibi Galle bonis.
Gens inſida, ferox, animoq́ armata bilingui:
Iuratis vnquam vix ſtetit illa Deis.
Sordida mens, lucriq́ frequens intenta venenis,
Italici retinens nil, niſi iura loci.
Perſimilis, peiorq́ ſuis, ſcelere obruta, ſaxis.
Non ſunt Pontificis noxia ſaxa nece.

VIENNA.

Aſpice barbaricis quæ propugnacula bellis:
Quæ ſtet fulmineis machina torua pilis:
Aduerſus ſpurium, quæ fortia pectora, Turcam
Apparet intrepida Norica dextra fide.
Illa igitur validis aſſultibus irrita fudit
Prælia, quæ capto fecerat hoſtis agro.
Quin etiam patrij demiſsis turbine Cæli
Auxilijs largo perpluit imbre polus.
Qualia Regna putes, Numē quibus excubat armis?
Nonne Dei eſt, pro quo pugnat & ipſe Deus?

HYDRVNTVM.

Quæ breuis aſpectans Cerealem tractus Epirum
Vrget in Ionias brachia longa vias.
Opportuna dolis, & cauti fraudibus hoſtis,
Hîc ſita ſum vigili præda petita Duci.

Hæc igitur firma Italicæ ſunt clauſtra quietis:
Et libertati iura parata tuæ.

MESSANA.

Indomitæ ſedeo ſpectatrix tuta Charybdis:
Oſtendoq́, aliis lumine grata viam.
Mortales, ſi ſic faciam, meliore fruantur
Numine. Nunc homini vera Charybdis homo eſt.

PICTAVIVM.

Si ſtudium eſt animæ: veniunt à corpore vires:
Galliaq́, à meritis poſcit vtrunque ſibi:
Hæc ſtudiis: aliæ belli exercentur amore.
Pictauium eſt animus, cætera corpus erunt.

BERGOMVM.

Ingenium, corpus, mores, obtutus, amictus,
Tecta, cibus, greſſus, guttura, ſermo, ſonus:
Omnia craſſa modis inſignibus, omnia dura:
Sic, valeant ſilices vt ſuperare ſuos.
Iſta domi: ſed vicinus ſi aſpergat acetum:
Artibus, atque dolis vincitur ipſe ſuis.

LYSIPONA.

Ergo grauis grummus quo pallidus emicet auri
Inſomni tellus ſciſſa ligone gemit.
Cernis, vbi aduectus peregrinis flatibus orbis?
Cernis, vbi in paruo eſt India tota ſinu?
Preſſa maris facies: domita eſt violentia Cæli.
Quid reliqui eſt: niſi te carpere ſceptra Poli?
Haud potes eſſe Deus: non vis homo viuere. Sors te
Ex homine egreſſum tertia quando capit?

SALERNVM.

Quæ Boreæ gelidas furias contemnit ouantis,
Torua procelloſi deſpicit arma Noti.
Medorum & ſyluis fœcundas prouocat auras:
Fundit & à biferis Indica dona iugis.
Protinus Autumnus Veris cum tempore certat:
Et Ver cum Autumni tempore certat item.
Huc acceſſit Hyems vernantibus vda capillis:
Et peperit mirans, & ſibi poma legit.
Tuta mari fruitur: terra dominatur amata:
Et Cæli mutat iura: quid ergo? Dea.

TOLOSA.

Quiſquis es, impura damnas qui voce Toloſam:
Diſce verecundo plenius ore loqui.
Fœta malis, inſenſa malis: cum crimine iuſta
Exercet leges legibus orba ſuis.
Cogitur, à proprijs aliena viuere mente,
Aſpera crudeli ſub pietate parens.
Magna quidem, ac Francis æquata ſuperbia terris
Vt iam iam ſeipſam vix tolerare queat.
Sumptus inexpletus ciues ſpoliauit inertes.
Sic Diues viuit, vt moriatur egens.
Inde vafer mercator agris ſucceſſit ademptis:
Ingenijq́; frequens aduena fretus ope.
Mox ſeipſum ignorans, ſortisq́; oblitus auitæ
Certat cùm nitida, nobilitate, domo.
Quid ſupereſſe bonis? bona quid ſupereſſe putandũ
Ante ſua hunc, hunc nec poſt ſua fata mori.

DERTONA.

Si faciles animos, ſi candida pectora quæris:
Quæq; docent claros Nomina magna viros:
Magnifico Dertona tibi dabit inclyta cultu:
Inclyta, ſed quondam: nunc malè culta ruit.
Nimirum quod ſemper erit, huic contigit Vrbi.
Vt ſemper noceant ſæcula praua bonis.

COLONIA AGRIPPINA.

Maxima cognati Regina Colonia Reni,
Hoc te etiam titulo Muſa ſuperba canit.
Romani ſtatuunt: habitat Germania: terra eſt
Belgica: ter Felix. Nil tibi Diua deeſt.

VICETIA.

Bacche pater, Ceres alma, bona bona Numina pa-
Qua patulos agros, qui iuga curua tenes: (cu:
Quid rerum, quid amicitiæ cum Marte cruento
Vobiſcum? veſtrum vt vexet vtrunque furor?
Pulchra racemiferos domitat Vicetia colles:
Lætaq; ſpicilegi iugera findit agri.
Cædis amor, cædis germana inſana cupido:
Nec patrius nato eſt tutus ab hoſte cruor.
Nuſquam iter eſt. vaſtata iacent latrone proteruo
Ruſcula: corruerunt ignibus hauſta ſuis.
Parce (nefas) ſcelerare manus gens debita Cælo:
Imbueq; ignoto pectora digna Deo.
Diuinæ facies regio cæleſtis: at huius
In Cæli medio Tartara dira vigent.

Athenæ

ATHENAE.

Hic, vbi diſiectæ fruſtra quæruntur Athenæ.
Quæruntur Graij mens, manus, arma ſoli.
Lignea viciſti. victricem fata Periclis
Marmoream faciunt. nunc miſeranda, quid es?

CAIETA.

Te quoque cedentem Naturæ Aeneïa nutrix
Heſperio retinent litora curua ſinu.
Iuſta pius fecit, tumulumq́; ſacrauit alumnus:
Vnde tuum in noſtro nomine nomen habes.
Reddere non potuit, deerat quod legibus æui:
At data, quod potuit, vita ſecunda tibi eſt.

CARNVTES.

Sæcula communes habeant ſibi cætera laudes,
Vina, feras, ſegetes, mœnia, bella, forum:
Huc ſua contulerunt omnes arcana Sibyllæ:
Cùm dicta eſt Virgo, quæ paritura foret.
Credidimus prius, atque fuit. ſi credere, vita eſt:
Sic nos, quàm eſſemus antè fuiſſe palam eſt.

CROTON.

Virtutis faciem, ac numeros metire Viator,
Siue oculis, ſeu tu mente Crotona vides.
Quot ciues, tot victores. Nam nomine palmas
Pauperis eſt populi dinumerare ſuas.

SENONES.

Quæ Senonum vires, & quanta potentia ferri:
Traiectaq́; Alpes, captaq́; Roma docet.

Hiſtrum, atq; Illyricũ ſuperant, Martisq; miniſtrũ:
Qua Boiana tuas Scopia ſuggit aquas.
Subdit ſe Macedo: ſummittit Achaica tellus:
Horridaq; armigero Thracia cedit equo.
Atque hinc res Aſiæ tremefactæ, & inhoſpita Ponti
Litora, & Armenios quæ colit ora Duces.
Hæc ſumma eſt. populis, caſtris, & Regibus, horum
Armorum arbitrio ſors rata quæque fuit.

TARENTVM.

Mollia quæ tenuis demittunt pondera lanæ,
Tonſa Tarentinis iugera læta iugis,
Hæc eadem complent vegrandibus horrea culmis:
Et tua ſub prælum munera Bacche ferunt.
Nulla eſt in Latio Pomona beatior vſquam:
Nulla eſt Heſperidum gratior aura locis.
Se totum exhibuit lauta ad conuiuia Nereus:
Seruit & innumeris proxima ſylua feris.
Hîc Ver perpetuum eſt. tantum pro frugibus æſtu,
Nectareas ſuperant Sidera fœta dapes.
Quod ſi Cælum imis vellet mutare ſuperna:
Haud alijs poterat plenius eſſe locis.

PRAGA.

Septa metallifero circum quæ monte ſuperbis
Herciniæ in medio Martia Praga ſinu,
Linque alijs populis tantæ munimina ſedis:
Qui nequeant armis iura tenere loci.
Nanque tuum eſt, non præſidio turgere locorum:
Sed loca præſidijs fidere poſſe tuis.

MVTI-

MVTINA.

Neſcit quo potius tumeat Rangonia tellus:
Tot ſe fama noua vertit in ora vetus.
Fama vetus, tot fama recens ſe vertit in ora:
Vt tituli numeros neſciat ipſa ſui.
Mars catus inuictis admiſcet viribus artem:
Ardua ſic gemino nomine bella docet.
At Venus ætherias cum finxerit aurea formas:
Verborum adiunxit pondera picta modis.
Inde triplex liquidos animos inſpirat Apollo:
Inde triplex nitida gratia iuncta manu.
Nulla deeſt Erato: capiet te candida Pitho.
Vt mox oblitus tu videare tui.
Neſcit quo potius tumeat Rangonia tellus:
Ergo nec dignum, velle tumere, putat.

MOSCOVIA.

Non veteri nos more fero nunc cedimus hoſti:
Nec bellare monent condita buſta Patrum.
Protinus aſpectis mittuntur ſpicula turmis.
Conſeritur preſſo comminus hoſte manus.
Artibus his Scythicas treis iam deuicimus Hordas.
Arteis has etiam Turcica ſigna tremunt.
Huc ſimplex victus, fatorumq; æmula Virtus.
Hos parere ſimul, hosq; iubere docent.

PARMA.

Inuentum medijs præclarum nomen in armis,
Prædita quo ſit gens ignea Marte docet.

Ingenium rapidum facili flammatur ab ira:
Sed viget in patulo pectore purus amor.
Magnanimo, precium eſt, non diſplicuiſſe pudori.
Hoc ſatis, officijs cedere turpe putat.

MAGDEBVRG.

Vos ego magnanimis inuictos Saxonas armis,
Atque graues Martis turbine canto duces.
Non Macedo tu miles eras. Sic Græcia mendax
Facta tua in laudes tranſtulit alta ſuas.
Non veteres huc te quondam miſere Britanni:
Quin iam ſeruiuit terra Britanna tibi.
Ipſa tua es: primumq́; tuis cum montibus orta:
Cum Cæli ipſius finibus orta tui.
Diues agri, diues quæſitæ veſtis, & auri:
Gens dubium eſt, armis iuſticia ve prior.
Eſt hominis, patrijs alios bene vincere telis.
Iuſtitia teipſam vincere velle: Dei eſt.

LVNA.

Proſpiciens tumida terram Neptunus ab vnda.
Oppida perdoluit condita nulla ſibi.
Immiſitq́; ſalum, merſitq́; ſub æquora Lunam:
Merſaq́; ſic famulis nunc dominatur aquis.

FRANCOFORDIA.

Multa laboratis debet Francfordia ſulcis:
Multa racemiferis vinea culta iugis.

Quid

Quid referam, quanta & quæ conuexere metalla?
Quæ Mars bellipotens, quæ petit alma Ceres?
Huc Italus patrijs miratur partibus orbem,
Aduectum huc ſtupida eſt Gallia magna ſuum.
Hîc oriens, hîc terra nouis comperta ſub aſtris
Agnoſcit Genij ſemina plena ſui.
Nec tamen in brutis ſola hæc commercia rebus:
Hîc animi æternæ ſed cumulantur opes.
Quod ſi res, paucas operoſa eſt dicere merces:
Non magis eſt, cunctas res operoſa dare?

PLACENTIA.

Nobilis antiquo porrecta Placentia muro
Hinc hoſtem, hinc rapidas fluminis arcet aquas.
Raræ artes: gens ſcita, hilari ſed dedita luxu.
Ingenium anguſtæ vix patiuntur opes.

NANETES.

Vicit Aremoricas animoſa Britannia gentes:
Et dedit impoſito nomina priſca iugo.
Nunc etiam patriæ remanent commercia linguæ:
Vltimaq́; à Gallo diſcrepat ora ſono.
Impauidum genus, Argiuæ gens docta paleſtræ:
Nec minus in bellis vtilis, acer eques.
Par domino quadrupes, ſæuis haud ſegnior armis:
Reſpondent animis robora firma feris.

Gens tamen hæc eadem patrijs intenta choreis
Laxat inexpleto pectora læta mero.
Tanta etiam pecoris, tãta eſt opulentia frugum, vt
Cum Cereris certet vomere magna Pales.
Quid varias referam piſcoſa ſub æquora turmas?
Abditaq́; ignoto litora capta mari?
Ne partire plagas, vt partis des mihi partem:
Sed Galli hæc dicas integra Regna ſoli.

SYRACVSAE.

Illa, ego ſum Romæ labor, atque iniuria Pœni,
Pro me etiam ſtragis Græcia ſenſit onus.
Figere quæ voluere alijs in ſedibus arma:
Exturbata iacent ſedibus orba ſuis.

CRACOVIA.

Martia Sarmaticis tentata Croatia nimbis
Arcigeri pugnax ſpicula fregit equi.
Hinc belli fortunam armis, finemq́; ſequuta
Germana Herciniјs expulit arma iugis.
Quaq́; patet ſolis fugiens Lituania campis,
Victrici impoſuit Martia ſigna manu.
Moſcouijsq́; docet, Turcisq́; auguſta tropheis,
Vicinis quantum ſit bene tuta quies.
Teſſara certa manu ſtat belli, & pacis: vtramuis
Si des, accipiam: vel cape, namq́; dabo.

PERV-

PERVSIA.

Sanguineo audaci connata Peruſia ferro,
Tanquam hoſti temere ſæpe inimica ſuis,
Partibus imperium, vitales partibus auras
Colligit. inuiſis partibus atra Deos.
Væ tibi, ſic odio quæ te partiris amaro,
Eſt, quæ non toto eſt corpore tota, nihil.
Quin etiam fera iura tui ſcripſere coloni:
Quæ iubeant tetras ſemper habere manus.
Veſtrarum hæc igitur ſumma eſt ſapientia legum,
Nolle placere aliis, velle nocere ſibi.

AMBIANVM.

Terrori fuerat peregrinis Gallia turmis:
Terrori Gallis Belgia ſola fuit.
Germanus Belgas cum vincit: Belgica Belga
Cùm tueor, Belgij Belgia ſola fui.

VALENTIA HISPA-NORVM.

Vna tibi ante oculos populi ponatur imago:
Cætera iam ex illa Natio tota patet.
Aegra Ceres: Regio torrenti infamis ab æſtu:
Arida Cerbeream colligit aura ſitim.
Nuſquam tutus abit rapido latrone Viator:
Nam probus, & pius eſt tollere ludus opes.

Tum tua poſcenti exprobrat tibi linquere vitam.
Dat libertatis præmia dura, mori.
Faſtus inexhauſtus: luxus ſub paupere vita:
Et furiat mentes gloria vana feras.
Quæ liquere hoſtes, ea cuncta vorabit amicus.
Nil vbi promiſit, tunc tibi tuta fides.
Tuta fides fortaſſe. quid hæc ſub tartara tutum?
Ah non ſe tutum ſi velit eſſe Deus.
Plusquam hoſte, eſt verum Regnũ, hoſpite poſſe ca-
Afflatus ſolo nomine, pauper eris. (rere.

VENVSIVM.

Parua quidẽ, atq; humilis, pene & ſine nomine tel-
Aut par, aut maior te, tibi Roma fui. (lus.
Cæde furis: peperi tranquillum ego lenis Olorem,
Cuius ope ad multos vita perennis eat.
Cuius ope effectum eſt: vt quæ ruitura fuiſti:
Vel nunc, cum nihil es, tu quoque viua voles.

ARIMINVM.

Priſca fui quondam ciuilis meta furoris:
Sed non fortunæ meta futura fui.
Non tunc arma togæ, non ceſſit Laurea linguæ.
Cæſaris eſt facere, haud ſub Cicerone loqui.

DYRRHACHIVM.

Cui

Cui quondam fuerat priuatum nomen Epirus,
Albani ad Titulos tranſpoſuere ſuos.
Fortis erat gens priſca: ſimul ſed fortior hæſit.
Grandius effectum eſt inſitione genus.
Cum translata alias generoſa armenta per herbas
Diſpereant: videas, pabula quanta ferant.
Cum pudeat Phrygias mirari Gargara meſſes:
Hîc Cereris, dices, Thenſa beata manent.
Vitrea cum tepidis coquitur vindemia ſaxis:
Iurabis madidi Cnoſsiâ dona Dei.
Hoc etiam illa potens tremuit ſub milite Roma:
Ne tu his arma opibus debilitata putes.
Ergo animis vacuis aliena pericula cernens,
Vincere dum credit eſſe, carere malis,
Vicinus ſibi ſpem promittit, & otia: caſſos
Subſidijs, ſerui nomine Turcus habet
Aſt videas quanti faciat duriſsimus hoſtis:
Fortia cum noſtro robore bella gerit.

CREMONA.

Quis modus eſſet agris, & quanta licentia frugum,
Verba peregrina Gallica voce notant.
Inde ſolum nati lætum dixere Cremonam,
Quin Latio vox eſt delitioſa Cremor.
Vſq; adeo longo reddit cùm fœnore tellus:
Præteritiq; hornus commoda ridet ager.

Deficit

Deficit & cultrum, & vomer: non deficit vber.
Laſſa manus, trita ſarcula, feſſa Ceres.
Reddant penſum aliæ: noſtra lex vnica terra eſt:
Et votum Domini, & ſpem ſuperare ſui.

LVBECCA.

Si referam: mihi quis credet? ſub limina Mundi
Vltima legiferi iura vigere Dei.
Ingenium, candorem animi, cultumq́, fidemq́,
Fortiaq́, inuicta pectora pura manu,
Dum mirata ſtupet terras Aſtræa relinquens,
Atq́, putat Cæli Regna, reſedit ibi.

FAVENTIA.

Pars magna Italiæ duro diſcrimine rerum
Clara Fauentino milite Sceptra capit.
Quod meruit decus inuictis Heluetius armis:
Quod conducta ferox Brennus ad arma fuit:
Hoc ſumus: hoc fortis meruit vis ignea dextra:
Arbitrio cuius Numina regna parant.

NARBONA ET BAIONA.

Erectæ geminæ dubio pro limine turres
Abſterrent patrijs hoſtica ſigna bonis.

Vtraq́; perpetuis fera Gens exercita bellis:
Vtraq́; vicinis Gens inimica ſuis.
Frangit inacceſſo aſſultus diſcrimina muro:
Quiq́; magis terrent, hos timuiſſe facit.
Illa ferox opibus, hæc paupertate ſuperbit:
Hæc Ciues alit, hæc ridet in hoſte famem.
Viuite felices, ac res firmate ſecundas:
Et bene cum veteri ſit noua iuncta fides.
Pro tantis meritis gemina Vrbs tutiſſima, rebus
Promotis, illi tu, excubet illa tibi.

PISAVRVM.

Hic Romæ fulſit primum ſpes vltima victæ:
Vnde loco, atq́; vrbi nomina ducta canunt.
Dum Gallus Romana actis imitatur auitis
Arma, premens arma Romula victor adeſt.
Poſtquam è ſollicita poſuit diſcrimina mente:
Torpuit occulto dextra ſoluta metu.
Ah quid agis ſoboles priſcorum inuicta Deorum?
Rerum, non auri ſumma petenda tibi eſt.

TVRCICA.

Ne teneras forti victas Legione cohortes
Cum querulo doleas murmure miles iners.
Impia néve pio facias conuicia Cælo:
Pectora quod teipſo caſſa fouere neget.
Imbellis ne habeat, poſuit quæ fortibus? an tu
Hoc ſeruili animo libera Regna feras?

Frigo-

Frigora pigra tibi ſtudio dominantur, & æſtus:
Gurgiteq́; inſano fœda vorago gulæ.
Conciliat mollis quæſitos ſtragula ſomnos:
Huic labor in dura, mollia fecit, humo.
Ipſe cibum & ſibi fert, ipſe & ſibi decoquit. ipſe
Crudum, ſi non ſit igne domare, vorat.
Tu quereris corrupta vndis tibi numina Bacchi:
Sæpe etiam ſordens huic leuat vnda ſitim,
Deuouet ille ſuo concordia pectora Regi:
Te quatit inſana ſeditione furor.
Mirum, Romanis propius qui acceſſerit armis,
Roma fata gerens, ſi ſibi fata trahit?

OPPIDA BENACI.

Terra, decus Cæli, curuas quod proruit vndas
Cùm furit Aeolij Norica turba gregis:
Vos ego Siderei mea maxima numina colles,
Inter præcipuos exul adoro Deos.
Haud procul hinc tetigi vitalis liminis oras:
Atq́; hauſi vitæ prima elementa rudis:
Balde procelloſos aperis vbi vertice nimbos:
Benaciq́; graues fluctibus addis aquas.
Huc me Diua Parens à magno miſſa Parente
Tranſtulit: & lucem ſancta videre dedit.
Vt miſer exciperem ſolijs excluſus auitis
In patrio ſaltem lumina prima ſolo.
Pene quidem expoſitus, quales & Cyrus, & ille,
Qui Marti poſuit mœnia clara, fui.

Quin-

Quinetiam ſola illorum malè prodita cernis
Corpora: ſed geminum, cumq́; parentē meum.
Tantum fata queunt, tantum indignatiō cœli:
Vt precium hoc animi ſit, voluiſſe malum.
Certè equidē hoc ego credo bonum: tamē illa pericli
Semina agunt, mentem ſolicitantq́; rudem.
Quid ſi meō ô Genitor crudelis, perfidus hoſtis?
Quid geminum corpus, cumq́; parente meum?
Quanta fuit non victi animi expectatio rerum:
Tanta eſt ſpes, cum ſpe perdita tota ſimul.
Nil potuit maleſaga mali mens percita fati.
Tu moreris: quaro munera mortis ego.
Dij patrij Indigetes, Dij deficientis Iulij:
Et vos Scaligeræ numina priſca domus:
Quæ mihi contigerunt primæ poſt munia vitæ,
Abſaltem à patria vos prohibete mea.

HIERVSALEM, BETHLEEM & Nazareth.

Hic genua, hîc animū, hîc lacrymas, hîc carmina po
Mensq́; mea ad patriū ſubuolat aucta polū. (no:
O promiſſa nouo, populo promiſſa vetuſto:
Quæ libertatis iura beata dabas:
Cur vidua, orba, iaces? Sancti quæ vulnera vultus?
Quis fuit, ætherias qui ſcidit ille genas?
Qu[illegible] te terra canam? cœlum quæ facta ſerenū es.
Nos facti è cœlo ſordida terra ſumus.
Tu nec laudis eges: nec noſtro augebere cantu:
At me abs te dici, gloria vtrinque tua eſt.

IANVS VITALIS PANORMITANVS.

DE ROMA.

QVi Romã in media quæris nouus aduena Romã,
Et Romæ in Roma nil reperis media:
Aſpice murorum moles, præruptaq; ſaxa,
Obrutaq; horrenti vaſta theatra ſitu:
Hæc ſunt Roma. viden' vel vt ipſa cadauera tanta
Vrbis adhuc ſpirent imperioſa minas?
Vicit vt hæc mundum, niſa eſt ſe vincere: vicit:
A ſe non victum ne quid in orbe foret.
Nunc victa in Roma Roma illa inuicta ſepulta eſt,
Atq; eadem victrix victaq; Roma fuit.
Albula Romani reſtat nunc nominis index,
Quin etiam rapidis fertur in æquor aquis.
Diſce hinc, quid poſſit fortuna: immota labaſcunt,
Et quæ perpetuò ſunt agitata, manent.

LOCORVM VETERES ET RECENTES APPELLATIONES.

VRBIVM, OPPIDORVM.

Aelia Ricina, Piceni, vulgò Racanati 47.

Adria 295.

Adrianopolis 190.

Alexandria 276.

Altinum 290.

Amſterodamum 211.

Ambianum 216.

Ancona, vrbs, Piceni maritima, de cuius conditoribus non diſſentiunt Plinius & Iuuenalis, vt Blondus autumat 46.

Angoliſma 287.

Antemnates populi in Latio 51.

Antiochia 276.

Antuerpia 213. 300.

Anxur Campaniæ, olim Trachyna, & poſt Tarracina nūc Taracin. ibid.

Apolleda, villa Turingiæ Vicethumorũ 88.

Appij forum, Volſcorũ, l'Abbatia, & Foſſa noua 52.

Aqua pendens, Hetruriæ, aliquando Aquula 68.

Aquileia 278.

Argentea villa 219.

Argentoratum, vel Argentina, olim Trebocorum, Strasburg. In

libro Troiaminis dicitur Silbertina 98.
Arelate 278.
Arenſtadiũ, Turingiæ, Arnſtad. Comitum Suarceburgiorũ 87.
Ariminum, Picentum, Rimini, à comitibus Herculis conditũ. Cato in Originib. 44.
Aſsiſium, Vmbriæ, nunc Siſi, patria & templo S. Franciſci celebre, Straboni Aeſiũ, Propertio Aeſis, vel (vt in nonnullis libris) Axis 48.
Atella, Campaniæ, nunc Auerſa 64.
Athenæ 279. 207.
Atheſini, populi in Alpibus, die Etſchlender 98.
Auguſta Vindelica Rhetorum, Sueuiæ, Augſpurg. 82. 229.
Auinio 291,
Aurelia 292.
Aurunci, populi Campaniæ, quorum vrbs non eſt amplius 70.
Auſtraſia 232.

Baiæ, Campaniæ in ſinu Puteolano, cuius nũc arx tãtùm extat 57.
Babylon 291.
Bauconia Rheni, vt nonnulli opinantur, Oppenheim 96.
Bauli, villa Campaniæ inter promontoriũ Miſenum & lacum Baianũ, flexo mari alluitur: Tacitus. Hodie de eo nihil extat 58.
Beichlingum arx Turingiæ antiquiſsima, olim vnius ex duodecim viris regijs Saxoniæ ſedes, poſtea Comitum inde dictorũ: ab Henrico IIII. Imperatore, An. M. 69. fuit euerſa. 87.

Bel-

Bellouacum 226.
Beroic 295.
Bianorum Hetruriæ in Apennino, la Pianora 74.
Bocenum Rhetiæ primæ, Bozen 79.
Bolonia 226.
Boneconuētum, Hetruriæ, infame Henrici VI. Cæſaris morte vẽneno ſublati per Monachum in Euchariſtia 68.
Bononia, vrbs Aemiliæ, olim Felſina, nunc Bologna 75. 237.
Bozenia 231.
Brixina oppidum Rhetiæ epiſcopale, Brixen 79.
Bruxella 214.
Burdigala 281.
Buda 298.
Caieta, maritima Campaniæ 53. 64. 307.
Caletum 226.
Calicut 290.
Campania, Italiæ regio fertiliſſima. Terrà de Lauore, nūc regnum Neapolitanum 55.
Candia 297.
Cantuaria 226.
Capua vetus ad Tifata montes, funditùs euerſa, totus ille locus à templo S. Mariæ nomen iam habet: dictæ antiquitus à Falconis augurio, quem Tuſci Capyn nominãt, vt Seruius: à rege Capy, vt Virgilius: à campis, vt Cicero & Plinius: à duce Capuo, vt Liuius: quòd illius loci fuerit caput, vt Strabo 63.
Capua noua, ad Vulturnum fluuium 63. & 277.
Carnutes 307.
Carthago 275.
Caſtellum, vicus ad Rhenū è regione Magun-

ciaci, vbi effodiuntur antiquitatis monumenta, & nomiſmata 95.
Catina 279.
Certaldum, Hetruriæ, patria Boccatij 69.
Ceruia Piceni, ſalinas habet 44.
Chemnicium Cæſariũ. Miſniæ, à Lothario Imp. Saxone conditũ, Keyſer Kemnitz 90.
Clugiæ, opp. Venetiæ in littore maris Hadriatici, vulgò la Chioza, olim etiam Foſſa Clodia ibid.
Cirellum, Rhetiæ, prope quod in venatione rupicaprarum in periculo fuit Maximilianus 81.
Citium, Miſniæ, Ceitz, vrbs Epiſcopalis, quã in Chronicis Mamillam inuenio appellatam 89.
Cimmerij, populi Campaniæ, ad Auernum lacum 58.
Coburgum, Franciæ orientalis, Koburg 85.
Coleda Turingiæ, vulgò Cucullium 87.
Colonia Agrippina 306.
Conſtantinopolis 190. 275.
Cora Miſniæ: Koren: nobilium Einſideliũ. Effodiuntur ad id Iaſpides nigri, flaui, & ſanguinei coloris 90.
Cumæ 55.

Dauentria 211.
Dauernum 226.
Delphi 113.
Dicæarchia, Cãpaniæ: ita dicta, quòd iuſtiſſimè regebatur. Feſtus. nũc Puteoli, vulgò Puzolo.
Donauerda, vrbs imperialis, quaſi Danubij in-

inſula 83.
Dordracum 213.
Eiſfeldum, Turingiæ, ad ſyluam Semanam 86.
Emerita 279.
Erfordia, vrbs Turingiæ, caput gentis, eodem cũ Venetijs anno cõdita, Erfurd 87.
Faberiana, Piceni, Fabriano: vnde carta Faberiana nominata eſt 47.
Faccha, Turingiæ 93.
Faliſcum, Hetruriæ, vino nobile, monte Fiaſcon 67.
Fanum fortunæ, Piceni, Fano 46.
Feltria, Rhetiæ primæ, Feltri. de quo oppido hoc memoratur Iulij Cæſaris diſtichon: Feltria perpetuò niuium damnata rigore, Terra vale, poſthac non adeũda mihi 78. 232.
Feronia Cãpaniæ, templo, luco, fonte celebrata Virgilio, Horatio, Tacito 52.
Ferraria, vrbs Aemiliæ, ad Padum, Ferrara. 76. 286. 237.
Feſulæ, Hetruriæ, nunc deſerta. In mõte Feſulano, prope Florentiam ædificatum monaſterium 74.
Fidentia, Hetruriæ in Apennino, Fiorenzola ibid.
Florentia Hetruriæ pulcherrima, per quam Arnus labitur, Fierenza 72. 238.
Fonteia, Miſniæ; Born. à Sueuis capta, à Boëmis cremata 90.
Formiæ, Campaniæ, nũc Mola 53. 64.
Foſſa Clodia, Venetiæ, Chioza 43.
Francfordia vrbs Impe-

rij ad Mœnũ, Francfurt. 94.
Franci populi, die Francken
Frobergum, Miſniæ 90
Fulda, Haſſiæ 94.
Fulginia, Vmbriæ, nunc Folingo. in fœminino ponit Silius: Fulgineum in neutro Cato & Appianus 48.
Fundi, Campaniæ, citrijs nobile, & vino. nũc Fondi, in via Appia 53.

Galatha 194.
Gelhuſa, vrbs Haſſiæ, Imperialis Gelhauſen 94.
Genua 286.
Graba, Badenſis Marchionis 47.

Haga 213.
Hana, Franciæ orientalis 94.
Harlemum 211.
Heydelberga 229.
Haſſi populi, vel Catti, die Heſſen 95.
Heilunga, Turingiæ 92.
Helmepons Turingiæ, Brucken 91.
Herculanium, Campaniæ, nũc vaſtum omninò, propter Veſuuij incendiũ 64.
Hiſpellum, Vmbriæ, nũc Spelle 48.
Hocheimum, diœceſis Maguntinẽſis 95.
Hoeſta, eiuſdem diœceſis vtrunq; vino nobile 95.
Hunefeldũ, Haſſiæ, quaſi Hunæ campus 93.
Ilmena, Turingiæ 86.
Interamna, Vmbriæ, nunc Terni 49.
Inutrium Rhetiæ, Mittenuualde 81.
Iſenacum, Turingiæ, Eiſenach 92.
Itrum, Campaniæ Hoc magno errore Lamu

vas nominat Blõdus, & Horatij verſum ex Sermonibus malè & legit & intelligit.
Lamum, Latij, nunc Marinum 51.
Lansbergum, Bauariæ 82.
Lichtena, Alſatiæ 98.
Liternum, Campaniæ, nunc vicus, vulgari lingua Lapatria. olim celebre oppidum, Scipionis exilio 55.
Lipſia, Miſniæ, Leipzig. Hanc nonnulli recentiores Philyram vocãt, à tilieto olim nominatam. Lipſiam deſcripſerunt carmine Hermanus Buſchius, & Ioan. Gigas 89.290.
Loretum Vmbriæ, templo virginis frequentatum 47.
Londinũ 222.238.293.
Louanium 214.
Luca Hetruriæ libera 71
Lucca Miſniæ, Sueuorũ cæde nobilis 90.
Lutetia 284.217.

Magunciacum, vrbs epiſcopalis, Meintz. 96.
Mantua 296.
Matilica Piceni, ita in vetuſta inſcriptione & antiquo Plinio, vulgo Matelica 47.
Matreio, Rhetiæ, Matran 80.
Mechlinia 214.
Mediolanum 285.
Melda 227.
Mencingia 228.
Milda, pagus Rhetiæ, in quo ducum Auſtriacorum imagines: æneæ. Coloſſ. xx. ſtatuæ xxiij. capita cum pectoribus xxxiiij. folio 80.
Minturnæ, op. Campaniæ, Traietto 54.

Miſenenſes, vel Miſnenſes populi, die Meiſſner, à Myſis dicti, quos doctiſsimus vir Philippus Melanthon paucos ante dies Miſenam veniens, hoc elegantiſsimo carmine ad me ſcripto celebrauit.

Χαῖρε πόλις, μυσῶν γενναίων κτίσμα, ἐν ὄχθαις
Ἀλβίδος, ἣ ἔθνους τοὔνομα μούνη ἔχεις.
Οὗ κλέος ἠδ' ἀρετὰς μάντεις ᾄδουσι παλαιοί,
Οἵτινες ἡρώων ἔργα λέγουσι καλά.
Χῖος ἀνὴρ ἔθνος μυσοὺς ἀπέφηνε δίκαιον,
Καλλίστη δ' ἀρετῶν ἐστι δικαιοσύνη.
Μαρτυρέει τε καὶ ἐμπείρους πολέμοιο γενέσθαι,
Ξὺν δὲ δικαιοσύνῃ καρτερίαν, ἀγαθόν.
Καί ποτε τῆς νηὸς μεγάλης ἡγούμενον Ἀργοῦς,
Πόλλ' εὐποίησαν δεξάμενοι φιλικῶς.
Καὶ δὲ βροτῶν φύσις ἐσθ' ἡ νῦν νωθρή τε σαθρή τε,
Σπέρμαθ' ὅμως ἀρετῶν τοῦτο γένος κατέχει.
Καὶ τάδε πρὸς, νῦν ἔζευξεν παιδεύματα μουσῶν,
Καὶ πολὺ ἀψευδῆ οἶδε θεοῦ διδαχήν.
Σώζεσθ' οὖν λαὸν μυσῶν εὐχώμεθα πάντες,
Ὃς μάλα σπουδαίως ἤθεα σέμν' ἀγαπᾷ.
Νῦν δὲ φιλοξενίην ἀσκῆσ' ἡμᾶς ἔτι δ' εἶξον,
Οἶνον καὶ λιαρὸν πέμπε τάχιστα φίλοις.

Quod carmen ita ſum conatus vertere.

Salue vrbs magnanimûm Myſorum, quæ prope ripam
Albiacam gentis nomina ſola tenes.
Virtutes cuius priſci cecinere poëtæ,
Quos iuuat heroo dicere magna pede.
Chius homo Myſos cultores prodidit eſſe
Iuſticiæ: qua nil pulchrius orbis habet.
Teſtaturq́; acres homines, belliq́; peritos:
Quantum ornant fortes pectora iuſta viros.
Hæc gens Argoæ ductorem puppis amico
Accepit tractans comiter hoſpitio.
Ac licet in peius mutentur tempore mores,
Hæc virtutis habet ſemina priſca tamen.

Præterea adiunxit Muſarum dona, ſtudetq́;
Mandatis ſummi nunc ſine fraude Dei.
Myſam igitur gentem cœleſtia numina ſeruent,
Ingenuos mores quæ ſtudioſa colit.
Nunc etiam hoſpitibus quàm ſis oſtende benigna.
Et vino exhilara pectora amica bono.

Monhemium, Rhetiæ, Monheim. 84.
Mulbergum arx 98.
Muranum inſula 227.
Metz ibid.
Monſtrelum 226.

Me-

Monacum 230.
Mutuſca, Vmbriæ, Treue. 49.

Narbo 270.
Nariſci populi, die Vodlender, à pratore Romano, vt volunt, dicti. Vodus autem noſtra lingua tutorem ſignificat, qui alit & defendit aliquẽ, tanquam pater 85.
Narnia Vmbriæ, Narni 49.
Neapolis, Campaniæ, olim Parthenope, Naples 55. 64.
Neomarcha Rhetiæ, Neumarg 79.
Noricia vrbs Sueuiæ imperialis, Vueiſſenburg
Norimberga, imperialis, Nurnberg, cuius laudes deſcriptæ à Conrado Celte, & Eobano Heſſo, duobus clariß. Germaniæ poëtis 84.

Obersheimum, Vangionum 97.
Ocriculum, Vmbriæ, Vtriculi 80.
Oenipons, Rhetiæ, Inſbruck 80.
Oppenheimum, diœceſis Maguntinenſis 96.

Paberga, Franciæ epiſcopalis, Bamberg 85.
Parthanum Rhetiæ, Parthenkirch 81.
Patauium, Venetiæ, Padoa. 43. 77. 286.
Pega, Miſniæ 89.
Peniga, Miſniæ, Penig. 90.
Perona 216.
Peruſia, Hetruriæ, Peroſa. 48.
Philippopolis 190.
Piſæ 70. 292.
Piſaurum, Piceni, Peſaro, patria antiquiſſimi poëtæ Accij 45.

Piſtorium, Hetruriæ, Piſtoia. 71.
Pometia, Campaniæ, nunc Sueſſa 63.
Pompeij, Cãpaniæ, funditus ſublati, Veſuuij incendio 64.
Placentia 311.
Preneſte, Latij, Peleſtrin, ſine diphthongo, ἀπὸ τῶν πρήνων, vt Seruius: vel quòd præſtet montibus, vt Feſtus: vel à Preneſte nepote Vlyſſis, vt Solinus et Martianus. Florus à ſitu æſtiuas delicias nominat 65.
Primolanũ, Rhetiæ 78.
Priuernum, Campaniæ, Biperna 52.
Puteoli, Campaniæ, Pezzuolo. Cicero nominauit puſillam Romam, propter frequentiam. & antiqui Delon minorem, vt legitur apud Feſtum, propter mercaturam. In Sibyllinis, καὶ δῆλος ἄδηλος, de hac vrbe intelligendum 61.
Raſtadium, Badenſis ditionis 98.
Rauenna, Flaminiæ 43. 292.
Rhodigium Aemiliæ, Robigo 77.
Roma, Latij & orbis terrarum caput 50.
Roncilionum, Hetruriæ, 67. 275. 283.
Roſdorſium, villa Haſſiæ 93.
Roterodamum 213.
Rothomagum 220.
Rufiniana ad Rhenum, creditur Oppenheim.
Rya 222.
Salurnum, in Alpib. Rheticis 79.
Salza, Turingiæ 92.

San-

Sanctodionyſium 217.
Sanſeuerinum 47.
Saxanguſta, arx Franciæ, Engenſtein folio 86.
Saxa rubra, opp. Hetruriæ, nunc Monte roſſo.
Saxenhuſia, Francorum ad Mœnum. q. d. domus vel ſedes Saxonum 95.
Sena 290.
Scala, inter aquam Pendentem & Beneconuentum 68.
Scala, arx in Tridentinis Alpibus 78.
Scarparia in Apennino, plena fabris ferrarijs 74.
Scauli, vicus Campaniæ, producit cannas, ex quibus fit ſaccarum 64.
Schluchter 94.
Schonga Bauariæ, quaſi pulchra tempe 82.
Sena Hetruriæ libera, Siena 68.
Senogallia, Piceni, Senegaglia 46.
Sentina, Piceni, nunc vaſtus locus 47.
Sermoneta, Volſcorum 51.
Setia, Volſcorũ, Sechi: vnde vina Setina ib.
Sinueſſa, Campaniæ, propter ſerpentes non habitata 63.
Spina, Piceni, à Lucani vſque temporibus euerſa 97.
Spira, Nemetum, Speier 228.
Spoletum, Vmbriæ, Spoleti 49.
Steinachium, Rhetiæ. 80.
Stena, Haſſiæ 94.
Steinum, arx Turingiæ, Vicelebiorum folio 88.
Stercingum Rhetiæ, venas argenti habet 80.
Stol-

Stolhoſium, Badenſis ditionis 98.
Subacchum, Noricorũ, cereuiſia nobile 84.
Sublauio Rhetiæ, fortaſsè nunc Brixina
Sueſſa Campaniæ, Volſcorum metropolis, vt Strabo: Hetruſcorum, vt Liuius.
Sueui, populi Germaniæ, die Schuuaben.
Sutrium, Hetruriæ 67.
Syracuſæ 279.

Tarracina 52.
Taurinum 291.
Tauriſum Venetiæ, Totilæ patria, Teruiſo 78.232.
Tibur Latij, vulgò Tioli, cuius ſeceſſu Horatius poëta delectatus. Conditum, vt Virgilius, à Tiburno: vt Horatius, à Catillo 65.
Toloſa 280.
Treboci populi, nunc Alſatij, Elſaſſer.
Tres tabernæ, in Campania.
Treuiri 276.
Tridentũ, Rhetiæ, Trento, vel Trient. 79.231
Tripergula, Campaniæ, nunc terramotu obruta 60.
Tubinga 229.
Tuiſcones populi, à Tuiſcone rege, die Deutſchen 86.
Turingi populi, die Dœringen. 86.
Tuſculum Latij, nunc Freſcada 64.

Velitræ, Latij, Belitri 51.
Venetiæ, vrbs in æſtuarijs maris Adriaci condita, Vineggia, Venedig, totius Europæ nunc Reip. forma ampliſsima. In Venetæ autem æſtuaria viginti flumina influunt 43. & 285.

Veſtini, populi Campaniæ.
Vetulonia, Hetruriæ 67.
Victoria terna, villa Turingiæ, Dreiſieg ibid.
Viterbum, Hetruriæ, olim Longula, Vueiterb. Vide Rhenanum in Germania 67.
Vltraiectum 211.
Vmbri populi, il Ducato di Spoleti
Vormatia, vrbs Vangionũ, Vuorms 97. 228.
Vrbinates, olim Metaurenſes 53.
Vrbinum, Piceni 45.
Vuartburgum, arx Iſenacenſis, ſedes D. Elizabethæ, & veterum Turingiæ Landgrauiorum, quæ viribus Imperij obſeſſa capi non potuit 92.
Vueiſſenburgum, Rhetiæ ſecundæ, vbi apparẽt foſſæ Caroli Magni, quibus voluit Rhenũ & Danubium coniungere 84.
Vuertheimũ, Haſſiæ 94.
Vulſinia, Hetruriæ, Bolſena

FLVMINVM.

Aeſacus Rhetiæ primæ, der Iſach 79.
Aeſis Piceni, il Fiumeſin. antiquus terminus Galliæ & Italiæ 46.
Alba, Nemetum 98.
Albulæ aquæ, inter Romam & Tibur 66.
Alemanus, Sueuiæ, die Vueitmül. Hũc nonnulli Almonem vocant, non rectè 84.
Almo, Latij 51.
Amaſenus, Volſcorum, il fiume de l'Abbatia 52
Ambra, Rhetiæ, die Amber 82.
Anio, Latij, l'Anien 65.
Arbia, Hetruriæ 68.
Argilla, Piceni 46.

Ariminum, Piceni, Mariela ab hoc oppidum nomen habet.
Arnus, Hetruriæ. 69. 72.
Aſis Vmbriæ, l' Aſino. 47.
Atheſis, Rhetiæ, die Etſch. ideo Rheticum amnem appellauimus. 77. 231.
Auſeris, Hetruriæ. 71.
Baianæ thermæ, in Campania.
Bernicus Rhetiæ, die Berniz. 83.
Blandus Hetruriæ, prope Senam. 69.
Blaua Rhetiæ primæ, die Blau. alij Plauim, Blondus falſo Anaxum putat. 78.
Chemnicium Miſniæ, die Kempnitz. 34.
Chientus, Piceni. 47.
Clinga, Turingiæ. 92.
Clitumnus, Vmbriæ. 49.
Cinclus, Rhetiæ Vindeliciæ, die Zinckel. 83.
Cremera, Hetruriæ. folio 66.
Cruſtumium Piceni, la Conchlia. 45.
Eliſter Miſniæ, die Elſter, influens in Salam. 65.
Eliſter, Luſatiæ, cognomẽto niger, in Albim. folio 90.
Ella, Haſſiæ. 93.
Ellus, Alſatiæ, der Ill. folio 41.
Elſa, Hetruriæ, ad cuius fontem quidquid in aquam mittitur, in lapidem dureſcit. folio 69.
Era, Hetruriæ. ibid.
Eridanus Aemiliæ, il Pado, vel il Pò. 76.
Fulda Haſſiæ, die Fuld.
Gagnanus, Venetiæ. 78.
Helba, Turingiæ. folio 92.
Hieras Turingiæ, die Ihe-

Ibera fol.86.
Holcha Alſatiæ.98.
Hormus Campaniæ, Straboni Hyphormus.54.
Horſela Turingiæ.93.
Huna Haſſiæ.ibi.
Ilmus Turingiæ.90.
Ilmus Miſniæ.86.
Iſara Bauariæ. die Iſer. fol.81.
Iſaurus Piceni, la Foglia.45.
Iſter Sueuiæ, aliàs Danubius, die Dona folio83.
Kintza Alſatiæ 98.
Kintziga Haſſiæ.94.
Loiſſa Bauariæ 81.
Loſſa Turingiæ.91.
Lycus Rhetiæ, der Lech. fol.82.
Lyris Campaniæ, Garigliano, Plinij temporibus Glanicus. folio 54.64.
Medoacus Venetiæ, la Brenta.77.
Metaurus Piceni, il Metere.45.46.
Miſa Piceni, il Marotto. fol.46.
Mœnus Franciæ, der Meyn.85.
Morychus Badenſis, die Morch.98.
Mulda Miſniæ.90.
Munio Hetruriæ.78.
Muſio Piceni.47.
Muſo Venetiæ.78.
Nebia Piceni.40.
Neſſa Turingiæ, Anno 1407. cùm omnes fluuij ſtetiſſent glacie, hîc vnus molendinis vſum præbuit.92.
Nida, diœceſis Maguntinenſis.95.
Nympheus Volſcorum, la Teupia.51.
Oenus Rhetiæ, der Ihn. fol.51.
Oraxi fontes calidi in Campania.62.
Ouſens Campaniæ.52.

Pa-

Padus Aemiliæ, il Po. Hunc Eridanum Græci, Abodingum Ligures, quaſi ſine fundo Gallica appellatione nominarunt, vt Polybius & Plinius annotarunt. folijs 43.77.

Paduſa Aemiliæ. Quidam putãt dici Maſſanicum.76.

Pegneſus Noricorum, die Pegnitz.85.

Peſa Hetruriæ.69.

Peßia Hetruriæ.71.

Phlegethon fons ardens, la Sulſutara, fol.61.

Piſaurus Piceni, il Peſaro.

Pluuicus Venetiæ, il Piouico, celebratus Bembi Dialogo. folio 78.

Potentia Piceni, la potenza.47.

Pila Hetruriæ.68.

Quadenna Piceni.45.

Radiantia Franciæ, Regnitz.76.

Renga Alſatiæ.98.

Rhenus Germaniæ, der Rhein.

Rhenus Aemiliæ, il Rheno, qui fluit per Bononiam.75.

Rubicon Flaminiæ, il Runcon, terminus aliquando Galliæ & Italiæ.44.

Sauenna Aemiliæ, la Sapina.75.

Sala 88.89.

Sapis Piceni, il Sauio, Straboni et recẽtioribus Iſapis. Silius verò libro VIII. Hos Aeſis Sapiſq; lauant. fol.44.

Seba Hetruriæ.74.

Sebethus, Campaniæ, il fiume de la Maddalena.63.

Silus, Venetiæ.78.

Stagia, Hetruriæ.69.

Steini, in arce fons ſalſus. ibid.
Stella, Hetruriæ. folio 72.
Sula, Haſſiæ. 93.
Surrha, Alſatiæ. folio 98.
Thuſcæ thermæ, ſunt Viterbenſes & Senenſes, quas vbertate aquarum Baianis pares affirmat Strabo: ſalubritate Tibul. 40.
Tinia, Vmbriæ, il Topino. Straboni Tenas. 48.
Togiſonus, Venetiæ, ex agris Patauinis, augens quoddam oſtium Padi.
Tullia aqua, ad Puteolos, nunc obruta terræ motu. 51.
Tibris, Latij. 58.
Vatrenus, Hetruriæ. folio 74.
Vella, Haſſiæ. 93.
Verrheſtis, Latij. 65.
Vinca, Badenſis. 97.
Vira, Miſniæ. 90.
Virdo, Rhetiæ, Vuertaba: alij Vindam nominant: & à Vinda & Lyco Vindeliciam dictã, autumat Peutingerus. 83.
Viſentius, Hetruriæ. folio 72.
Vmbro, Hetruriæ. folio 72.
Vnſter, Turingiæ, Vnſtruta, die Vnſtrut. 91.
Vnſter, Haſſiæ, die Vnſtra.
Vrcius, Hetruriæ. folio 68.
Vulturnus, Campaniæ, olim Nataronus. Plutarchus in Parallelis. 55. 63.

LACVVM.

Agnanus, Campaniæ hunc

hunc alij Anium nominant, alij lacum Sudatorij: alij Anguinum, ab anguium multitudine. folio 62.

Auernus, Campaniæ, il laco de Tripergola, inter Cumas & Puteolos ibid.

Bentinus, Hetruriæ. folio 71.

Coccherus, Bauariæ. folio 81.

Ciminus, Hetruriæ, il laco de Vico, vel de Ruſilloni. fuit enim is vicus antiquitus, Rus Syllanum. folio 67.

Cygneus, Turingiæ, der Schuuanſehe. 87.

Fundanus, Campaniæ, il laco di Fondi. folio 53.

Leucius, Turingiæ, Vueiſſenſehe. 92.

Lucrinus, Campaniæ, in ſinu Baiano, nunc Mare-mortuum. folio 58.

Medoacus, in Alpibus Rheticis. der Brenta ſehe. 78.

Pontinus, Campaniæ, nunc exiccatus.

Thraſymenus, Hetruriæ, il laco de Peroſa. 48.

Vadimonis, Hetruriæ, il laco de Viterbo. folio 67.

Velinus, Vmbriæ, il laco de Terni.

Vulſinenſis, Hetruriæ, il laco de Bolſena. folio 67.

OSTIORVM, inſularum, portuum.

Arni, oſtium in Hetruria, verſus Labronē, in mare Tyrrhenum. folio 70.

Brundulum, oſtium Padi, ex Atheſi & Togiſono, in Adriaticum: vulgò Brondolo.43.

Calopſis, inſula Padi, iuxta Ferrariam, il Bel uidere.ibid.

Caprasiæ, oſtium Padi, mangia Vaccha folio 43.

Capraria inſula Tyrrheni maris. Varro Caprasiam apellat. folio 71.

Ceſenæ portus in Piceno, Ceſnadigo.44.

Corſica inſula maris Tyrrheni.78.

Donauerda, inſula Danubij.

Euplœa, nunc Gaiola, inſula maris Tyrrheni inter Miſenum & Neapolim.

Gorgonis, inſula maris Tyrrheni.

Gorum Padi oſtium, fortaſſe illud quod Plinio Sagis dicitur. fol.43.

Ilua, maris Tyrrheni inſula, nunc Elba, metallo ferri nobilis. 71.

Inarime, eiuſdem: nunc Iſchia: impoſita Typhœo, & vino celebris, quod Romæ venditur. 55.

Inſula natãs, Hetruriæ, in lacu Vadimonis. folio 67.

Labro, portus Piſarum, il Liburno.70.

Lycoſtoma, Lyci oſtium Ptolomæo, Lechſgemünde, inde Lycoſtomij Comites.

Medoaci portus, Malamoco, inter Venetias & foſſam Clodiam.

Megaris inſula, caſtellum Oui, nunc nominata,

nata, à forma, inter Pauſilypum & Neapolim.56.

Metauri oſtium, in mare Adriaticum, inter Fanum Fortunæ & Senogalliam.

Mœni oſtium, in Rhenum, è regione Moguntiaci.96.

Neapolitanus portus, multarum triremium capax.

Neſis inſula maris Tyrrheni, nunc Neſita: inter Miſenum & Neapolim, antrum olim habuit peſtiferum, teſte Lucano. Dicitur à quibuſdam Cunicularia: & fuit olim continens. fol.56.

Nida oſtiũ in Mœnum. fol.60.

Oglaſa, inſula maris Tyrrheni.71.

Oſtienſis portus à Claudio Imperatore factus, à Gregorio Primo Pontifice obrutus. Eius fundamenta depicta vidimus apud Lazarum Bonamicum.64.

Pennata inſula prope Miſenum promontorium.57.

Philiſtinæ foſſæ, oſtium Padi, la Foſſona. folio 43.

Prochyta inſula Tyrrheni maris.55.

Spineticum, Padi oſtium, Premiero.43.

Traiani portus, il porto de Ancona.

Tyberis oſtium.

Volane, Padi oſtium, cuius & Polybius meminit.43.

MONTIVM.

Albanus mons Latij, in quo cõditum Tuſculum.

lum. alius ab Albano monte, ex quo ouantes Imperatores in vrbem introierunt. 65.
Alpes, die Alben, diſterminantes Italiam à Germania. 230.
Auentinus Latij, in quo
Apenninus Hetruriæ, 74
conditum Preneſte. alius ab Auentino Romæ 65.
Cæcubus Cāpaniæ, vnde vinum Cæcubum.
Caietanum promontorium Campaniæ.
Caleni colles, laudati vino. la montagna da Carinola. ibid.
Caſcus Miſniæ, prope Chemniciū, der Catſchenberg: à virginibus nomē habet, quas incolæ veteri Sabinorū lingua Caſcas nominant. 90.
Cattorum montes, das Heſſiſch gebirg. 94.
Ceſenatici montes, fertiles, ſulphure.
Ciminus Hetruriæ. ibidem.
Cimmera Piceni, promontorium Anconæ. 47.
Circeium promontorium Campaniæ, nunc Circeglio, aut S. Felicitas. 52.
Coccherus, Bauariæ.
Druſi moles Maguntiæ, der Eichelſtein.
Faliſcus Hetruriæ, monte Fiaſcon. folio 240.
Feſulanus Hetruriæ, lapides plumbarios habet, qui exciſi breui tempore renaſcuntur: Boccatius.
Gaurus Campaniæ, vino nobilis, Puteolos Baiásque proſpectans. Plinius lib. 14, 54.
Horriſonus Turingiæ, der

der Horſelberg.92.
Iſidis mons, Iſenberg, in vrbe Auguſtana. folio 65.
Leucogæi colles Campaniæ: vulgò La lumera del ſulfo, à colore albi ſulphuris.61.
Maſsicus mons, ſpectans ſinum Baianum & Puteolanum, nunc monte Marſo. ibidem
Mergillina promontorium, pars Pauſilypi. folio 55.
Miſenus, Campaniæ, qui habet ingentem cryptam & caſtella, quibus aqua ad vſum claſsis fuit contenta. Eius topotheſiam ſcripſit Cicero. folio 56.
Mons Ferrariæ arte factus ab Alphonſo principe.
Mons Sancti Martini prope Cirellum in Alpibus, in quo venatu rupicaprarum periclitatus eſt Maximilianus.53.
Mons Martyrum.217.
Mons ardens, inter Fidentiam & Bianorum, in Appenninis. 59.74.
Oſenna, Hetruriæ. folio 68.
Pauſilypus, Campaniæ prope Neapolim, nũc il Poſilipo. per quem crypta facta eſt mirando opere: quod Plinius Luculli, Strabo Cocceij opus eſſe perhibet. cùm hoc facit quædam inſcriptio: ſed eruditi iudicabunt.55.
Petra Pertuſa, in Piceno, quam arte perfoſſam ſcribit Claudianus.46.
Priuernates cautes, ad

Priuernum Volſcorum 90.
Puteolanus mons nouus, qui terræmotu factus eſt in ingenti planicie. an. M.D.xxxviij. pridie Calend. Octob. nunc monte Moderno. 59.
Pyreneus in Alpibus Rheticis, der Prenner, cuius mentio in Græco Epigrammate, quod citat in Germania ſua Rhenanus. Diuerſus ab eo qui Galliam ab Hiſpania diuidit, qui appellatur der Ronciual. 80. 231.
Sebergus, Turingiæ, prope Strinum arcem, in quo vrnæ inueniuntur 88.
Tifata montes, propè Capuam veterem. 63.
Tritolinus, inter Baias & Puteolos, mons Salueati: aliqui volunt eſſe Maſſicum. fol. 58.
Veſuuius Campaniæ, è regione portus Neapolitani. Nunc, La ſumma. duos vertices habet, & craterem profundum. 63.

TEMPE, SILuarum, lucorum.

Auerni lucus. 58.
Ambra, tempe Rhetiæ, Ambrigeu. Nam quod nos ein Auu appellamus, Rheti ein geu nominant.
Aurea, tempe Turingiæ, die Gulden auu, propter fertilitatem, ad Vnſtrum fluuium. folio 36.
Arſia ſylua in Latio Capeni lucus in Latio. fol. 66.

Delioli horti, prope Neapolim, il pozo regale.63.

Feroniæ lucus Campaniæ, prope Taracinã. fol.52.

Florentina vallis.72.

Hermæ lucus, in Francia Irmenkirch: quaſi dicas, Mercurij templum. ἑρμῆς *enim Mercurius eſt: inter Eiſfeldũ, & Saxanguſtam.86.*

Laborini campi, in Campania, terra di lauaro.63.

Lyci tempe Rhetiæ, das Lechfeld, ꝑpe Schongam, dictam à pulchritudine illorum tempe Schongeu.82.

Phlegræus campus, in Campania, à Romanis Laborinus.60.

Sanguinei campi prope Peruſiam ad lacum Thraſimenum, à cæde Romanorum dicti.48.

Semana pars ſiluæ Herciniæ Dœrigenuuald. fol.86.

Sila, vt Seruius, ſylua eſt Lucaniæ, vt ſequeſter Brutiorum. Mentionem faciunt Cicero, Salluſtius, Virgilius, exẽplaribus ferè corruptis.30.

Sileta ad Minturnas in Campania, quibus in locis ſiler copioſum naſcitur, Cicero in Rullum.54.

Sylua inter Lamum & Velitras in Cãpania.

Sylua poſt Mulbergum in Trebocis.ibid.

Tiberinus campus Romæ qui alio nomine Martius hodie à porta Flumentana ad Muluiũ pontem extenditur: nã pars eius intra mœnia ædificijs eſt occupata.

pata. ibidem.
Vallis Piſtorienſis Florentiam vſque pulcherrima ſoli vbertate & ædificiorũ magnificentia. Hanc vallem Stellatem, à fluuio appellauit Cato. Sunt & campi Stellates in Campania ab his diuerſi. folio 59.
Vallis Mugillana in Apennino. 74.
Velini rura prope Interamnas.

F I N I S.

OBSERVATA POST IMPRESSIONEM.

Fol.12.abeſt cuſtos,ſed nihil tamen deeſt.
15.Pro lahrymas lege lachrymas.
133.Ac tuus humectat Bembe Pluuicus agros.
158.Lipſidos egreſsi renouatis mœnibus vrbis.
223.Ab initio lege:

Cuncta ferè humanæ vitæ quæ poſtulat vſus,
Finibus ipſa,&c.

FRAN-

FRANCOFORTI AD MOENVM, EX OFFICINA HAEREDVM CHRISTIANI Egenolphi, impenſis Adami Loniceri, Ioannis Cnipij Doctorum, & Pauli Steinmei-ers.



M. D. LXXV.